

SYNOPSIS

Fæderum, Pacificationum, Diplomatum & Pacificationum aliarum, Legum item Regni Hungariæ, nec non Provinciæ Transilvanicæ; e quibus liquet quod Comitatus Bihariensis, præprimis a Pacificatione Viennensi Anni 1606, usque ejusdem in Regnum Hungariæ Reincorporationem, perpetuo, & præcise, Principibus Transilvaniæ Partiumque Hungariæ annexarum & Legislationi Comitiorum ejus Provinciæ subfuerit: quodve adeo Privilegia & Leges Principum & Comitiorum istorum, Jura & Constitutionem Quatuor Decem Oppidorum Hajdonicalium valide sanxerint; ac sacrum Leopoldinum Anni 1691. Diploma ad Comitatum Bihariensem & Oppida Hajdonicalia extensum sit.

Numeri Romani Acta Publica huc excitata designant.

ORBATI Rege Clade Mohacsiana Hungari, dum vindicandæ ab interitu Patriæ, vitandæque internecionis & sævæ servitutis, a sævo, validissimo ac victorioso hoste barbaro impendentis præsidia anxii circumspectant, utque in re turbata & trepida, ac subeunte Interregno fieri asolet, pro se quisque solliciti in medium consulunt, in duas quidem Partes; Divi quippe Ferdinandi I. & Joannis Zapolya secesserunt; armisque & Legibus infestis subinde decertabant: non tamen seu æmuli Principes, seu eos secuti, crudeli implacabilique adeo odio dissidebant, ut salutis Regni hujus, totius Christianitatis ætemuralis obliviscerentur; neque perviderent, Solymanum, ejusque Successores id captare consilii, ut duorum de Regno Contentione, dimicationeque Gentis domesticæ labefactatam Hungariam, totis tandem viribus invaderent, ac cædibus exhaustam, subjugatamque in Provinciæ formam redigerent. Inde vero, ut infinitam in subjiciendis Dominatui populis spem persequi Barbaro isti Religioni est, aditas longe lateque Christianorum Ditiones evastarent, ac subderent.

Transactione itaque Bellum Civile finire; ac de Controversia publica ita pacisci, ut quo fieri possit, detrimenti minus Respublica pateretur, inde a Primordio dissociationis usitatum, pernecessariumque, & non Hungariæ solum; sed multis præterea Christianorum Populis & Principibus, quos eidem ruinæ involvere Turca meditabatur, salutare utrique semper Parti visum est.

Qua in re, si quis non morose & severe, sed tranquille, moderate, & attente animum adverterit, ad fortuitum Seccessionis istius Casuarum Concursum, earumque vim & effecta; Pactiones deinde istas, quibus Divi præprimis Reges Austriaci, ac quidam Genti Hungaræ propitii Principes Christiani Pacis & Fæderum Conciliatores ac Arbitri, Regnum Religioni Reique publicæ Christianæ conservatum ibant: non vi distrahi; sed placide dividi Regni Possessionem cupientes; honesta semper Unionis spe relicta: non poterit non Confæderationum & Transactionum inter Austriacos Hungariæ Reges, & Transilvaniæ Partiumque annexarum Principes, Regnicolasque iis subjunctos conflatarum salutarem opem & Sanctimoniam venerari; simulque admirari Divinæ Sapientiæ providentiam, quæ his Remediis Saluti Christianitatis, ejusque Propugnaculi opitulari decreverit.

Pacta Conventa ista potissimum Supplicantibus, e Monumentis, quæ iis in promptu erant, eruere licuit.

I. Anno 1536. inter ambos coronatos Hungariæ Reges Divum Ferdinandum I. & Joannem de Zápolya ita convenerat, ut Joannes, quoad viveret, certis Hungariæ Partibus, & Transylvania, Regisque titulo potiretur. Eo defuncto Regnum ad Ferdinandum devolvatur, filioque Joannis nascituro, hæreditariæ Parentis Arces resituantur, iisque Transilvaniæ Principatus, cum nonnullis Hun-



gariæ Comitatus adjiciatur. Ut Volf. Bethlen Lib. II. Istvánus Libr. XII. Szegedi in notis ad Art. 39. 1542. Diætæ Pofoniens. Brutus, Joan. Zermegh Lib. II. Petrus de Reva de Monarchia, & S. Corona Regni Hungariæ aliique graviffimi Historici plerique coævi enarrant.

Confæderationem Varadiensem ad Annum 1538. relatam, nec publicatam, nec confirmatam, cum Joanne exspirasse Volf. Bethlen Hist. Libr. II. tradit.

Auctores hujus concordiæ primarii fuerunt Aug. & Sacr. Principes Carolus V. Imperator, & Ferdinandus I. Rex. Et Divus quidem Ferdinandus, ut non Hungariam modo, sed & vicinas Provincias, bello & furori ingruentis Solymani eriperet, adeo a partiendo inter se, & Joannem Regno non erat alienus, ut referentibus Urfino Velio, Istvánio, aliisque supparibus isti ætati Historicis, salutem Christianitatis hujus antemuralis consulturus, in primordio, ipsa quoque Regni petitione abstinere decreverit; nec nisi multis deinde rationibus per Hungaros persuasus, oblatum sibi regnum tandem admiserit.

Compertum scilicet erat, Solymanum, antequam Patrocinium Joannis de Zápolya suscepisset, id moliri, ut primo quoque tempore, ad oppugnamdam totis viribus Hungariam reverteretur, eandemque, quam jure armorum sibi vendicabat, perpetuo jugo subderet. Idque in Divano, seu sanctiori Consilio Turcarum ita decretum erat. Solymanus quippe devicto, & occiso Rege, circumlatis armis, & exusta Buda, Regnum se armis occupasse; hocque animo Arcem Regiam, & Domum intactam per se relictam præ se ferebat, ut dum Hungariam adire colluisset, illic diverfaretur.

Unde Princeps optimus, Divus Ferdinandus, postquam cognovisset Solymanum recepto in Clientelam Joanne, Consilium subjugandæ, & in Provincia formam redigendæ Hungariæ mutasse: in Pacem semper propendebat, & Joanni Regi, partem Hungariæ, cum Regio Titulo cedere constituerat.

Unicæ huic rationi Regnum a rabie Ottomanica conservandi, longe maxima Pars Hungariæ, & annexarum Provinciarum assentiebatur.

Moram Transactioni Bathorium fere solum Palatinum attulisse, Istvánus, aliique graves Historici, secundum eos Palma quoque celeberrimus modernæ ætatis scriptor referunt, Palatinumque propterea graviter reprehendunt: ut qui futura haud prospiciens, salutare de ineunda pace sapientissimorum Principum Caroli V. & Ferdinandi I. conatus diu interturbasset.

Ad Comitatus Anni 1536. & priora quædam, quæ Paci inter Divum Ferdinandum, & Joannem ambos Reges Hungariæ coronatos conciliandæ, quodam modo contrariari videbantur, pauci duntaxat, Austriæ & Styriæ viciniore Comitatus, velut a minis & ira Solymani tutiores confluerant. Horrendis enim Tyranni Turcæ edictis, & comminationibus effectum erat, ut Joannes Rex hoc tempore Budam, ac cum Transylvania reliquam Hungariam obtineret; Divo Ferdinando I. ii fere tantum, qui Styriæ & Austriæ propius conjungebantur, tutioraque loca infederunt, Comitatus adhærere audent.

Articulum proinde I-mum 1536. & similes alios, qui partitioni Regni inter duos coronatos Reges, pacique adversabantur, parva Regni Pars ferebat. Ut hoc superius memorati Historici enarrant, ac inspectio Corporis Juris Hungarici docet, Comitatus quippe Annorum 1536. & 1537. Pofonii celebrantur, ac Articulo 49. 1536. decernitur; ut locus Administrationis Regni Pofonium sit; donec auspice Deo Regnum recuperaretur.


Maxima vero Regni Hungariæ Pars & Transylvania impendentem ab insuperabili, & truculento hoste perniciem vitatura, Carolo V. Imp. & Ferdinando I. obsecundabant, dum assentiebantur, ut Regnum Hungariæ dividatur, limitesque statuatur, duas inter se Ditiones diremturi.

Enimvero & ipsa Anni 1536. Comitatus Articulis 52. & 53. desiderium & voluntatem, ut Regia Majestas Tractatum Pacis ineat, manifestant, ac Inducias Paci tractandæ initas, sancte servandas decernunt.

Atque ita Transylvania Ditio cum adjectis Partibus Hungariæ distincta esse cepit.

Comitatum Bihariensem hac Pace Ditioni Joannis Regis fuisse subjectum; præmissa evidentissime demonstrant, idque inferius provocandus Articulo 21. quoque Anni 1552. diserte testatur.

Univerfa isthæc memoriæ prodiderunt graviffimi Rerum Hungaricarum Scriptores plerique coævi, aut ætati isti proximi, superius memorati, & Hieronimus Laskyus in arcanis legationis suæ ad Solymanum, aliique complures.



Post mortem Joannis Regis in Annum 1540. incidentem occupatamque per Solymanum Anno 1540. Budam, Regina Isabella Joannis Regis Vidua Ditionum istarum, quæ Filiolo pupillo suberant, tranquillam, & pacatam Possessionem obtinuit, ut Volf. Bethlen, Istvánfius, Franc. Forgács, Petrus de Réva, Palma, aliique Historici, Legesque ab Anno 1542. perlatæ commonstrant.

Docentibus quippe Præfatione Constitutionum Novifolienfium 1542. ac responsione Anni 1543. Divi Ferdinandi Regis ad Articulos 1542. & 1543. piæ admonitioni optimi hujus Principis, subjecti eidem Status & Ordines obtemperantes, concordia Vaciensi 1536. initæ, superius memoratis in Punctis accesserunt. Scilicet

Articulos priorum inde ab 1527. Comitiorum antiquando, Status & Ordines, ac Regnicolas Joanni Regi, & tandem Viduæ ejus Reginae & Filio adhaerentes a Nota absolverunt, ac

Univerfa Bona, & Jura Possessionaria inde a morte Ludovici II. Regis usque Annum 1542. intercepta, iis, quibus adempta sunt, restituenda, & quidem sub pæna Notæ Infidelitatis decreverunt: ut Constitutiones Annorum 1542. Novifolienfis & Pofonienfis Diætaram 1543. & 1545, & reliquarum Articulis prioribus plerisque ac aliis ostendunt.

Bona quoque propter adhæfionem uni Regi per alterum donata, perinde reddenda definiunt. Ut Articulus I. Diætæ Novifol. 1542. aliæque Leges tenent.

Isabellam Viduam Joannis de Zápolya, Serenissimam Reginam, ipsum Joannem itidem Regem Serenissimum nuncupant, ut in Articulis 14. 25. Diætæ Novifol. & 39. 44. aliisque Diætæ Pofonienfis Anni 1542. videre est,

In responsione vero sua Anni 1543. Divus Ferdinandus monstrante Articulo 34. Diætæ 1543. non solum Anni 1543, sed etiam Anni 1542. Constitutiones confirmavit.

Statum Ditionum Viduæ & Filio Joannis Regis subjectarum, ac ejus temporis extensionem, tam scriptores Rerum Hungaricarum, quam Leges ipsæ repræsentant. Nimirum

Quod Regina Isabella administrationem Provinciæ pupillo parentis inter Tutores ita partita fuerit, ut Petrovicsium, foris summæ rerum, cum Imperio Lippæ Tömösvarino, totique Rascianorum Regioni, usque ad Danubium præfecerit, Georgio Monacho Váradienfem, & Csanádienssem Episcopatus, nec non totam illam Hungariæ partem, quam fluvii Tibiscus & Crius includunt, regendam attribuerit; in superiori vero Hungaria, sumpto a Cassovia initio, reliquum omnem tractum Administrationi Leonardi Szétsi commiserit; sibi denique Transilvaniam, & Marmatiam gubernandas sumpserit. Ut Volf. Bethlen Lib. III. Franc. Forgács, Istvánfy, Palma cæterique Historici percensent.

Articulus 14. 1542. aliique Ditiones ac Status & Ordines Isabellæ Reginae, ejusque Pupillo parentes, membra quidem Regni, eaque non contemnenda appellant, sed distinctam provinciam constituere palam faciunt.

Extensio Ditionum Filii Joannis Regis Joannis Sigismundi successive quandoque restringebatur, Comitatus tamen Bihariensis, tunc quoque Transilvanicæ Provinciæ cum reliquis Articulo 21. 1552. recensitis annexus & subjectus semper manebat. Scilicet

Articulus 32. 1546. universos citra & ultra Tibiscum sitos Comitatus, hoc tempore Divi Ferdinandi Regis regimini subjectos enumerat; illic tamen Comitatus Bihariensem, ac reliquos Articulo 21. 1552. denominatos, neutquam memorat.

Articulus 19. 1548. universos istos Comitatus, qui hoc tempore Regnum Hungariæ Divo Ferdinando Regni, Legislationi Comitiorum, ac judiciis ejusdem subjectum absolvebant, percenset, dicitque ibidem Comitatus Regni intra fines ejus constitutos, bifariam, judiciorum celebrandorum causa dividi; neque tamen isthic quoque Comitatum juxta Articulum 21. 1552. Provinciæ Transilvanicæ innexorum ulla mentio.

Articulo 57. 1548. Status & Ordines interpellant Divum Ferdinandum Regem, velit curare, ut Comitatus Hevesiensis Abaujváriensis, Sáros Zemplény, & Ung, quos Frater Georgius, Episcopus nempe Váradienfis, Tutor Pupilli Joannis Sigismundi, nomine cujus & Reginae avulserat, ad ditionem Suxæ Majestatis recuperentur.



Articulus ergo 14. 1548. universos Comitatus istos, qui Ditioni Regis Hungariæ Divi Ferdinandi vel actu suberant, vel ad eam juxta Pacta conventa recuperari postulabantur, nominat.

Articulus porro 57. 1548. nullum e Comitatus in Articulo 21. 1552. enumeratis, adeoque nec Bihariensem, ad Ditiones Divi Ferdinandi recuperari per Regiam Majestatem postulat, adeoque.

Ut Comitatus Articulo 21. 1552. memorati in Ditione Joannis Sigismundi porro quoque maneant, ad hoc Consensus Statuum & Ordinum ex his quoque Legibus elucescit.

Articulus 58. 1548. requirit Regiam Majestatem, ut facultatem tribuat Regni Capitaneis ad tollendas Tricesimas in Varanno, Szepsi, Jaszov, ac Torna per Fratrem Georgium erectas. Huic ergo, Episcopo scilicet Váradienfi, Ditionem Tutelæ suæ concrediti Pupilli, in Comitatus ad Ditionem Regis Hungariæ Articulo 19. 1548. circumscriptam pertinentes extendere volenti, velut Regi, Legislationi, Judiciisque Regni Hungariæ non subjecto, sed partem Ditionis Joannis Sigismundi nomine hujus, & Reginae Matris administranti, armis resistendum statuitur. Ditionem tamen Joannis Sigismundi Articulo 21. 1552. indigitatam aggrediendi facultatem Capitaneis Regni tribui Status & Ordines non petunt.

Articulus 59. 1548. ita sonat: Dignetur etiam Majestas Regia modum adhibere, ut Bona Fidelium Suæ Majestatis, sub potestate Serenissimæ Dominæ Isabellæ Reginae, & Fratris Georgii existentia restituantur iis, ad quos spectant. Et sicut per Majestatem suam Nobilibus sub illorum potestate existentibus, justitia & satisfactio administratur, idem & illic fiat.

Articulus hicce lucem affundit Articulo 14. 1542.

Lex porro illa aperte distingvit Ditionem, ac Status & Ordines potestati Joannis Sigismundi subjacentes, quæ & qui hoc tempore per Reginam Matrem Georgium Monachum, aliosque nomine Pupilli gubernabantur, a Ditione Statibusque, & Ordinibus Regi Hungariæ subjectis. Duosque diversos pactis conventis in Regno, Partibusque adnexis constitutos Status, ut justos spectat, & non obscure in eos eorumque fundamenta consentit.

Agnoscit quippe Regis, Comitiorum, Legis, administratorumque, ac Judiciorum Regni Hungariæ potestatem, scita ac iussa, ad Ditionem Joannis Sigismundi nequaquam extendi, neque ut extendatur postulat, aut decernit, sed eam alteri capiti, Legislationi: aliisque Administris & Magistratibus illinc dependentibus subjungi indicat. In Constitutionemque hanc Provinciæ istius, Lex hæc clare consentit: illic enim justitiam, & satisfactionem Regiæ Majestatis subditis administrari postulat.

Agnoscit Lex ista, quod Ditionis Joannis Sigismundi Nobilibus Rex Hungariæ non ut suis Subditis, sed velut Reginae Isabellæ, & Filii ejus pupilli hujusque Tutoris potestati subjectis, justitiam, & satisfactionem administraverit. Factum hoc Regiæ Majestatis Lex illa approbat, & instar laudabilis exempli Reginae Isabellæ, & Tutori Georgio Monacho in Ditione Pupilli imitandum commemorat.

Articulo 64. 1548. rogatur Regia Majestas, ut ad Fratrem Georgium Tutorem Joannis Sigismundi scribat: ut is patiat Executionem facere Capitulum Varadiense, & S. Stephani Proto-Martyris, in Comitatus quoque Ditioni Regis Hungariæ subjectis ubique, ubi antea faciebant, donec scilicet cum Comitatu Bihariensi, aliisque Provinciæ Transylvanicæ jungerentur.


Recognoscit itaque ista Lex Capitulum Varadiense cum Comitatu Bihariensi Ditioni Joannis Sigismundi subfuisse.

Permittit Capitularibus hisce, ut faciant Executionem in Ditionibus quoque Regis Hungariæ, & non jubet.

Sed quia hoc iis absque indultu Georgii Fratris, Tutoris Pupilli, & Partis illius Provinciæ Administris tentare integrum non erat, rogatur hac Legge Regia Majestas, ut eatenus Georgium Fratrem requirat.

Requirendus autem erat: ut *id fieri patiat*: Regi itaque, Comitibus, Legique Regni Hungariæ, Fratrem Georgium Episcopum Váradiensem, & Administratorem Pupillaris Provinciæ non subfuisse, Lex quoque hæc statuit.

In Articulo 59. 1550. conqueruntur Status & Ordines Ditionis Regis Hungariæ Divi Ferdinandi I-mi subjacentes, quod Dominus Episcopus Váradienfis,



dienſis, magnam partem Comitatus Heveſienſis, Abaujvariensis, Zemplinienſis, Sáros, & Ung, ac nonnihil etiam de Comitatus Szabolcs, & Szólnok ab obedientia Regiæ Majestatis per hos annos seorsim alienaverit.

Supplicans Status & Ordines his Comitibus congregati, dignetur Majestas Sua Comitatus prædictos in fide, & obedientia Suae Majestatis, contra ejus vim defendere, & manutenere.

Ita ut tam in Judiciis, quam Dicarum solutionibus, Conventuum quoque celebrationibus, & aliis rebus omnibus Majestati Suae, & nemini alteri subiaceant.

Dignetur etiam Majestas Sua Bona Fidelium suorum, quæ apud Dominum Váradienſem, vel ejus Homines indebite occupata, adhuc manent, ipsi ad quos spectant, jam tandem modis omnibus, restitui curare.

Hæc quoque Lex agnoscit Ditionem ad obedientiam Reginæ Isabellæ, & Filii ejus Joannis Sigismundi spectantem, certis limitibus mutuo consensu definitis distinctam fuisse, a Ditione ista, quæ ad obedientiam divi Ferdinandi Regis Hungariæ pertinebat, aliamque in utraque Ditione fuisse supremam Potestatem, ita ut Comitatus recensiti per hoc, quod eos Georgius Episcopus Váradienſis Ditioni Joannis Sigismundi adjunxerit, a Ditione Regis Hungariæ fuerint separati, & alienati.

Lex eadem Comitatus alios, intra eos quorum meminit versus Transylvaniam sitos in Articulo 21. 1552. denominatos, juxta Pacta conventa Transylvaniæ conjunctos, non postulat fidei, & obedientiæ Regiæ Majestatis seu in Judiciis, seu in Dicarum solutionibus, seu Conventuum celebrationibus, & aliis ullis rebus subjici, hos ergo velut Articulo 19. 1548. haud nominatos, admittit hæc Lex, quoad Supremæ Potestatis Jura, eorumque exercitium, non Suae Majestati Regi Comitibusque & Magistratibus Regni Hungariæ, sed alteri, Joanni quippe Sigismundo, & Reginæ ejus Matri, Comitibusque & Magistratibus Provinciæ Ditionis ejus porro quoque subesse.

Georgium Martinusium, quem præcedentes Articuli Fratrem Georgium compellabant Lex hæc nominat Dominum Episcopum Váradienſem, quamvis per Joannem Regem creatus foret, nomineque Pupilli jussu Reginæ partem Provinciæ administrans, Ditionem ejus, Limites ex Articulis 21. 1552. & 19. 1548. colligendos transcendendo protenderet. Quod ergo Episcopatus Váradienſis, prout & Comitatus Bihariensis Ditioni Joannis Sigismundi & Reginæ Matris ejus innexi fuerint, Lex ista non obscure approbat.

Quatenus vero facta ejus hoc Articulo commemorata Pactis conventis contraria reprobatur: eatenus cum eo, velut diversæ Ditionis Præfecto, & Administrato, non Lege, & Jusſis Regiis; sed tractatu aut bello transigendum esse Lex eadem statuit.

II-do Anno 1551. Isabella Regina Joannis Regis Vidua, cum Divo Ferdinando I-mo ita tranſegisse refertur, ut Transylvania & iis Hungariæ Partibus, quæ Ei Filioque hucusque parebant, cederet, Sacramque Coronam, & alia Inſignia Ferdinando traderet. Ut Volf. Bethlen Hist. Lib. IV. Franc. Forgáts, Com. Lib. I. Petr. de Réva Cent. VI. Istvanſius Hist. Lib. XIII. Palma N. H. Lib. III.

Hoc ipsum indicant subſequentium aliquot Comitiorum Leges.


Anno 1552. Articuli 1. 16. & 30. dicunt Transylvaniam, cum reliquis quibusdam, Regni Hungariæ Partibus, nunc demum sub Ditionem Divi Ferdinandi Regis venisse, & cum reliquo Hungariæ corpore sese univisse.

Articulo 16. ejusdem Anni nunc primum constitutus Vajvoda Transylvaniæ nominatur.

Articulo 21. Comitatus, Joannis Regis, & post mortem ejus Viduæ, ac Pupilli illius Ditioni cum Transylvania constanter hucusque subjacentes recensentur, qui juxta Articulos superius provocatos nunc recens simul cum Transylvania ad obedientiam Regiæ Majestatis accesserunt, utpote Bihar, Arad, Csongrád, Csanád, Zaránd, Békés, Torontál, Temes, Szólnak exterior, & Sövrén.

Articulo 44. hujusdem Anni jam Judicia Cassoviæ pro 28. Comitibus celebranda decernuntur, cum antea Articulo 19. 1548. posterioris Classis Comitatus Pofonii litigaturi 18. tantum censeantur: quibus si 10. Articulo 21. 1552. nominati accedant, efficient 28, manifesto indicio, 10. istos Comitatus, nunc primum Comitibus, Regi, Legi & Judiciis Regni Hungariæ fuisse subjunctos.

Hocce 1552. Anno Turca Banatum Temesiensem adeoque quosdam Articulo 21. hujus Anni memoratos Comitatus Tyrannidi suæ subjecit; ut provocati sæpius Historici testantur.



Anno 1553. Articuli 15. 17. & 20. Transylvaniam, cum prænotatis Partibus Hungariæ reliquo corpori jam junctam afficiunt.

Id ipsum præstant Articuli.

Anni 1554. 15. & 16.

Anni 1555. 2. & 4.

Anni 1556. 17. & si qui occurrerent alii.

Conjunctionis hujus cum reliquo Hungariæ corpore Periodus anno hocce deficit.

Solymanus quippe Divo Ferdinando Regi inducias postulanti, eas negabat, nisi Isabella cum Filio in integrum restitueretur, ad Transylvanos vero, ac inferioris, & superioris Hungariæ Comitatus atrociam mandata dederat, ut junctis viribus Isabellam, & Joannem Sigismundum reducerent, alias se ferro, & igne in eos animadversurum. Isabella vero in pristinum solium reverterat.

III-tio Anno 1556. difficilimis rebus, cum ne junctis quidem totius Hungariæ, ac Transylvaniæ, numerosisque externi militis copiis, & viribus immani Turcarum potentia resisti posse res ipsa docuisset, Divus Ferdinandus, ne Solymanum in excidium Regni, quod minabatur irritaret, Ordines Transylvaniæ, & annexarum antea Partium, a præstito prius sibi fidelitatis Juramento absolvit, Præfidiisque omnibus, interque ea Váradino quoque Isabellæ, & Joanni Sigismundo resignari jussit. Copias e Ditionibus istis evocari fecit: ut Volfg. Bethlen Hist. Lib. IV. Franc. Forgács Comm. Lib. VI. Istváni Hist. Lib. XIX. Petrus de Réva de Mon. & Sac. Cæs. Reg. Hung. Cent. VI. Palma Not. Reg. Hung. III. Busbeq.

Leges quoque Comitiorum Anni 1557. ostendunt Comitatus Articulo 21. 1552. nominatos, quatenus per Turcam subjugati non fuerant, in eandem rursus cum Transylvania Provinciam Joanni Sigismundo, & Viduæ Reginae subjectam coaluisse.

Articulo 8. 1557. Octavaliū Judiciorum celebratio, non jam Cassoviam sed Leutsoviam pro propinquieribus sine dubio Comitatus præfigitur.

Nulla jam in Articulis Anni 1557. Transylvaniæ, & adhærentium Comitatum Hungariæ, unionisque horum, cum reliquo Regni Hungariæ corpore, sicut in præcedentibus aliquot ab Anno 1552. Comitibus mentio.

Nec Vajvodæ Transylvani, Comitisque Temesiensis prioribus prænotatis aliquot Comitibus memoratorum, Leges hujus anni meminerunt.

Articuli hujus anni Gratuitos labores, ad Arces Regni dispensantes, de Fortalitiis Várad, & Gyula Anno 1552, & sequentibus nominatis altum tacent.

Historicis itaque provocatis, Arcem quoque Várad, & Comitatum Bihariensem Ditioni Transylvanicæ hoc jam tempore rursus accessisse referentibus, Leges quoque fidem adstruunt.

IV-to Anno 1559. Postquam Sigismundus Rex Poloniæ Augustissimusque Imperator, & Rex Ferdinandus I. ac Regina Isabella id obtinuissent: ut Solymanus Joannem Sigismundum, ad Filiam Divi Ferdinandi, aut quam vellet ducendam hortaretur; severe tamen interdixisset, ne Oppidum, vel Villam, aut Terram vel minimam ex sua Ditione cederet: Pax inter Ferdinandum Augustum, & Joannem Sigismundum his conditionibus convenit: Ut filiam Cæsaris uxorem Joanni daret cum Dote Cæsarea; Comitatum Abaujvariensem Joannes Ferdinando cederet, Beregh & Vgotsa Comitatus inter duas Ditiones Tributum & Censum utrique penderent, dimidium tamen singulis, Munkács, Hufzt, Marmatiam, Hungariam inferiorem, & certas Hungariæ superioris Partes, atque Transylvaniam Joannes Sigismundus, suis Juribus, Legibus, libere, absolute, ac perpetuo Regia autoritate possideret, titulo saltem Regio abstineret, & quemcunque alium vellet eligeret. Ut Coævus Historicus Franc. Forgács Episcopus, docente Codice Juris Patrii ad Annum 1560. Divo Ferdinando addictus Hist. Lib. IX. & Petrus de Réva de Mon. & S. C. R. H. Cent. VI. recensent.

Leges Anni 1559, perinde ad Transylvaniam, annexosque eidem Comitatus, interque eos Bihariensem nequiquam extenduntur.

Neque vel Articuli gratuitos labores ad Arces dispertientes a 18. ad 36. Arcis Váradensis & Comitatus Bihariensis ullatenus recordantur.

Articulus quidem 38. hujus Anni Episcopi Transylvaninensis ad Sedem Judicariam Octavalem Posonii juxta Articulum 37. pro Comitibus propinquieribus celebrandam pro Prælate Tabulæ denominati facit mentionem. Sed

eum dimittente Regina Isabella, cui adhærere nolebat, sponte sua Transylvania exulem Episcopatum Nyitriensem administrasse ex Historiis notum est. Ut Volf. Bethlen & Szegedi in Notis ad hunc Articulum testantur.

Isabella Regina vita excedente, cum incommoda Belli Regnum diu afflixissent.

Anno 1562. percusso inter Cæsares Ferdinandum & Solymanum Pacis Fæderi octennali Joannes quoque Sigismundus cum suis Ditionibus inclusus est, illique Transylvania, & Partium Hungariæ Possessio Cassoviam usque stabilita. Ut Volf. Bethlen Hist. Lib. V. Petrus de Réva de Mon. & Sac. Cæs. Reg. H. Cent. VI. Istvánfi Lib. XXI. & Busbeq. Epist. Palma Not. R. H. Lib. III. §. 25.

Leges Diætarum Annorum 1563. & 1566. ad Transylvaniam & Comitatum Bihariensem vim suam nequaquam exferunt.

Articulo 41. 1563. Confinia ultra Tibiscum recensentur. Varadinum in iis non memoratur.

Articulo 43. 1563. quoad Bonorum restitutionem Articuli Anni 1542. Diætæ Novifolientis, non vero Anni 1552. observandi præcipiuntur, cum jam Legislatio, in partibus Transylvaniae applicatis, & in Transylvania locum non haberet.

Articulis 24. 1563. & 21. 1566. Judicia Octavalia Pofonii, & Eperjesini pro Comitatus vicinioribus celebranda ordinantur.

Anno 1567. Inter Cæsarem & Regem Hungariæ Maximilianum ac Selymum Imperatorem Turcarum Pax octennalis coalescebat, inque ea Joannes Sigismundus comprehendebatur, iisdem modis quibus antea, cum Solymano convenerat, ac ut quisque sibi quod Bello, cæpisset retineret. Ut Istvánfius Lib. Hist. XXIV. Volf. Bethlen Hist. Lib. V. Petrus de Réva de Mon. Reg. Hung. Cent. VI. Franc. Forgács Com. Lib. XIX.

In Comitibus Anni 1567. Pacem hanc inituro Divo Maximiliano Imperatori, & Regi Status & Ordines Regni adspulantur.

Art. 17. Arces ad quas gratuiti labores præstandi erant omnes enumerat; de fortalio tamen Váradiensi, velut cum Comitatu Bihariensi, Joanni Sigismundo subjacente, silet.


Articulus 24. omnes istos Comitatus, qui ultra, & citra Tybiscum in Ditione Augustissimi Imperatoris, & Regis Hungariæ erant, Pofonii litigatorum denominat, & percenset, ut sub C. Comitatum Bihariensem, non esse inter illos palam est, & quidem ideo, quia per Joannem Sigismundum possidebatur. C.

Anno 1569. perlatae nonnullæ Leges, hostilitatum per Joannem Sigismundum patratarum meminerunt.

Articulus 19. gratuitos labores, Arcibus assignans, de Comitatu Bihariensi, & Arce Váradiensi tacet. Erat quippe in Ditione Joannis Sigismundi.

V.to. Anno 1570.) Conventio Pacis, inter Maximilianum Cæsarem & Regem, ac 1571.) Joannem Sigismundum cooperante Legato Regis Poloniae Sigismundi Pragæ inchoata, Spiræ tandem, quo Summa ejus, ad Principum Germaniæ Conventum rejecta erat, variis Tractatibus ultro citroque habitis Anno 1570. conclusa, ac Pragæ per Legatum Joannis Sigismundi & Cæsarem Maximilianum Hungariæ Regem confirmata est, his inter alias Conditionibus: Ut Joannes Sigismundus Insignibus Regalibus cedat; titulo tamen Serenissimi, uti ex Regibus ortus, & Regia autoritate in Regno suo fungens, utatur. Transylvaniam, in Hungaria Comitatus Bihariensem, una cum Magno-Varadino, Szolnokiensis, Krasnensem, item Provinciam Marmaticam, cum Hufzto Arce ac Mineris Salinis perpetuo possideret, & intra hos fines atque terminos utriusque starent. Ut in suis Ditionibus, omnis libera, absoluta, independens, (solo nomine Regio excepto, & quovis arbitrato suo sibi delecto) autoritas Regia, integra atque amplissima, nullis circumscripta conditionibus Joanni Sigismundo permaneret. Super quibus Diplomata confecta manibus Cæsaris, Oratorumque signata, atque interventu publici Notarii Fædus perpetuum percussum, & conceptis verbis, præeunte Notario per Cæsarem, Oratoresque fides, & Jusjurandum præstitum est. Ut Coævus Scriptor Franciscus Forgács Episcopus Váradiensis Comm. Lib. XX. percenset ut sub D. ac ex eo mutatis quibusdam Istvánfius Lib. XXIV. nec non Petrus de Réva Cent. VI. ex Istvánfi porro Volf. Bethlen Hist. Lib. V. commemorant. D.

Tractatus hujus Pacis sæpius Armis interpellati Annis 1563. 1565. 1570. 1571. repetiti, apud provocatos Scriptores prolixè memorantur.



Interea Joanne Sigismundo Anno 1571. 13. Martii mortuo.

VI-to. Anno 1571. 27ma Maji publicis omnium suffragiis in Comitibus Transylvaniæ, & Partium Regni Hungariæ adnexarum Stephanus Bathorius Somlianus Princeps eligitur. E Comitioque Nuncii ad Cæsarem simul, & Selymum certiores ejus rei reddendos mittuntur, a quibus brevi post electio hæc confirmata fuit, interque Cæsarem Maximilianum, & Stephanum Bathorium ita conventum: ut hic Pactis nuperrime, cum Joanne Sigismundo initis se accomodaret. Sed quia ut Franc. Forgács refert, Literis e Comitibus ad se datis Divus Maximilianus respondisset, se Regnum istud non affectare, Electionemque liberam permittere, Pacemque & concordiam velle: libertatem electionis tutari Status, & Ordines eo magis constituerunt: Quod Selimus Casparis Békés, ad Cæsarem pro confirmandis Fæderum Tabulis profectionem subodoratus, & ægerrime ferens, ad invadendam Transylvaniam 50 millia Tartarorum parata ad Poloniæ, & Valachiæ fines tenebat: duarum Valachiarum Principibus singulis 40 millia imperaverat; ad hæc Magistrum Equitum Græciæ, in Expeditionem Transylvanicam venire jusserat, quibus Transylvaniam, & incorporatas Hungariæ Partes, si Clientelæ Turcicæ nuncium mittere, & se Cæsari Maximiliano Regi Hungariæ submittere voluissent, torrentis instar obrueret, ferroque, & igne evastatam in Provinciæ formam cogeret, & alioquin inter Conditiones Pacis Anni hujus 1571. cum Joanne Sigismundo initæ, erat illa, ut Turca, quoad usque fieri poterit, quietus more consueto, & amicus retineretur. Ut Franc. Forgács Com. Lib. XXI. Istvánfius Lib. XXIV. Volf. Bethlen Hist. Lib. VI. Petrus de Reva de Mon. & S. C. R. H. Cent. VI. Palma Not. Rer. Hung. P. 3.

In Comitibus Anni 1574. Articulo 28. rogant Status & Ordines Regiam Majestatem, ut cum Vajvoda Transylvaniæ Stephano quippe Bathori de Somlyo mature tractet, tam de reciproca Hungarorum cum Provincialibus litigatione, quam de Tricesimatorum Transilvaniensium insolentia: De occupatione Limitum Ditionis Majestatis Suxæ *ipsis minime concessorum*, nec non violenta detentione Bonorum hujus Partis; Ut Fideles Majestatis Suxæ, ea quoque *in Parte* sibi quam optime consultum fuisse sentiant; æquum enim est, ut si Transylvani cum Fidelibus Majestatis Suxæ prout volunt ita litigant, etiam ipsis in Transylvania Juris cursus non intercipiatur.

Hæc manifeste indicant Vajvodam Transylvaniæ, & Partium annexarum, ipsamque istam Provinciam, Comitibus, Legibus, Magistratibusque Regni Hungariæ non subfuisse, distinctam Ditionem constituisse, adeo ut cum iis de talibus, qualia hoc Articulo recensentur objectis Tractatu transigendum fuerit.


Comitatum vero Bihariensem, & alios eo annexos Ditioni isti hoc quoque tempore fuisse innexos, & Articuli 5. 1547. & 9. 1575. de gratuitis laboribus conditi, leges Annorum 1567. & 1569. confirmantes, de Fortalio Váradienfi, & Comitatu Bihar tacentes indicant; & superiora, ac quæ sequuntur pandunt & Historici jam provocati, aliique referunt.

Transylvaniæ etiam nomenclatione, totam Provinciam eo intellectis Partibus quoque Hungariæ, ac imprimis Comitatu Bihariensi, comprehendi hæc quoque Lex, ac plura alia allata, & adducenda confirmant.

Stephano de Bathor Anno 1576. Corona Regni Poloniæ potito, in Comitibus Transylvaniæ, & Partium Regni Hungariæ adnexarum generalibus Christophorus Báthory germanus Stephani Frater, unanimi consensu Statuum & Ordinum Regni in Vajvodam eligitur, cum summa potestate Regiminis, nisi quod Stephanus Rex Poloniæ, relicto fratri Christophoro Vajvodæ Titulo, ipse Titulo Principis Transylvaniæ uteretur. Et quamvis Christophorus in omnibus ad Regimen Regni spectantibus elargiendisque Donationibus ac Privilegiis autoritate Principis, juxta juratam in electione Capitulationem polleret: attamen tempore tam Christophori, quam & Filii ejus Sigismundi, nihil ardui incio, & invito Rege Stephano, quoad ille vixit, Regnum Transylvaniæ aggrediebatur, imo Diplomata quoque, majoris momenti ille corroborabat, ac instructiones ad res expediendas dabat. Ut Volf. Bethlen Hist. Lib. VI. Istvánfius Hist. Lib. XXV. Petrus de Reva de Mon. R. H. Cent. VI. Palma Not. Hung. P. 3. §. 8.

Leges in Comitibus sequentibus usque Annum 1595. perlatae, illæ præsertim, que de gratuitis laboribus sonant, innuunt Comitatum Bihariensem arctissimo cum Transylvania nexu copulatum hoc quoque tempore fuisse.

Sigismundus dein Báthori Christophori filius octennis in Comitibus Generalibus Provinciæ Anno 1581. Vajvoda Transylvaniæ, adnitentibus Christophoro



ro Vajvoda, & germano hujus Stephano Poloniae Rege creatus, ubi ex ephelis excessisset, ad fanciendam cum Rudolpho Cæsare Hungariae Rege, belli pacisque communionem serio animum adjecit. Atque ita:

VII. Anno 1595. Fædus ictum est sub E. quod initum esse illic dicitur inter Cæsarem Hungariae, & Bohemiae Regem pro hæredibus quoque suis, & Successoribus, pro sua item persona, & Ordinum Hungariae promittentem, nec non Sigismundum, Transylvaniae Principem Sicularum Comitum, & *quarundam Hungariae Partium Dominum Principem*: quodve Articuli ejus, non solum pro conservatione Hungariae, sed etiam totius Christianae Reipublicae beneficio conclusi sint. Confæderationis hujus Capita in Solenne Instrumentum relata, Oratorum utriusque Partis Sigillis & Subscriptionem 28va Januarii Anni denotati Pragæ signata, in Generalibus ejusdem Anni Comitibus Articulo inserta & 56. probata, confirmata, ac solempni Regio Diplomati inclusa sunt.

Hujus sequentes imprimis Articuli notandi occurrunt.

Articulo I. §. 2do dicitur: In Transactione vero tam Transylvania, quam *Ditiones illi subjectæ* contineantur, *utraque item* Valachia, nimirum Moldavia, & Transalpina, quæ a Turcarum societate recesserunt.

Articulo II. Ut Transylvaniae Jurisdictio *inclusis etiam cunctis iis Hungariae Partibus, & Confiniis, hactenus per Principem possessis*, penes eundem Principem, Dominum Sigismundum Báthory de Somlyó, ejusdemque hæredes masculini sexus, ex propriis lumbis, in sua linea recte descendentes, cum Jure Primogenituræ, eo prorsus modo, quo tempore antecessorum ipsius Principis fuerunt, nempe Joannis, Stephani & Christophori Báthory, cum omni proventu, jure, & antiquo usu, integra, absolutaque ita maneant, ut semper merum mixtumque Imperium liberamque Jurisdictionem in ea habeat.

§. 3tio. Deinde ut decedente sine Hæredibus Masculis ipso Principe vel illis superstitibus, at in hac ejus Linea legitima deficientibus, ipsa Transylvania, eique annexæ Ditiones, non in alterius, quam in Suæ Majestatis, ejusque Successorum Hungariae Regum Ditionem, & potestatem (tamquam verum & inseparabile membrum) absque ulla controversia pervenire debeant. Et super hoc ipse Princeps, se, suosque Ordines, & omnes Suæ Ditionis Status Juramento fidei obstringat.

§. 4to. Cessante autem Hærede in Linea Masculina moderni Principis, ac ipsa Transylvania, juxta præsentem Articulos, ad Coronam Hungariae devoluta; teneatur tam moderna Cæsarea Regiaque Majestas, quam Successores ejusdem, Jura municipalia, Privilegia & Consuetudines in Transylvania receptas, inviolatas servare, nec ulla ex parte immutare.


§. 5to. Donationes item omnes, & Inscriptiones semper pro ratis, & gratis acceptare.

Articulo III. Sacra Cæsarea Regiaque Majestas Principem Transylvaniae recognoscet pro libero Principe, eique Titulum & appellationem Illustrissimi concedet.

Confæderatio ista in Comitibus Generalibus Albam Juliam ad diem 16tam Aprilis Anni hujus 1595. per Sigismundum Principem promulgatis, publico Statutum, & Ordinum Provinciae ei subjectæ consensu acceptata, ac ratificata Articulusque ea de re conditus est. Ut Volf. Bethlen Hist. Libr. VIII.

Rudolphus porro Cæsar Rex Hungariae acceptis Principis, atque Ordinum Transylvaniae, & Partium incorporatarum Ratificatoriis, & Confirmatoriis Instrumentis, ipse quoque 11ma Junii ejusdem Anni Pactorum Conventorum Articulos & Conditiones, a Principe Transylvaniae, atque Ordinibus approbatas, & confirmatas, pro sua quoque Parte solenni, & peculiari Diplomate sub F. ratificavit, & corroboravit. Ut Volf. Bethlen Hist. Libr. VIII.

Sigismundus dein concedente etiam Cæsare, tam per Transylvanos, & Partes Hungariae annexas, Moldaviae item, & Valachiae Vajvodas, ac Ordines, quam & apud Exteros Serenissimus Princeps appellabatur, usque ad mortem Vajvodæ, & Ordines Valachiae, ac Moldaviae nuncupare eum, & Successores ejus tenebantur, Serenissimum Principem, & Dominum eorum Clementissimum. Ipse illo Titulo utebatur: Sigismundus Dei Gratia Transylvaniae Moldaviae, Transalpinæ, & S. R. I. Princeps, Partium Regni Hungariae Dominus, & Sicularum Comes: Ut hæc pluraque idgenus alia in Volf. Bethlen Lib. VIII. referuntur; ac ex pluribus illic exstantibus publicis Actis colligi possunt. Uti forent Contractus de Connubio Sigismundi, cum Maria Christierna



G.

Archiduce Græcii 5ta Martii 1595. initus: Pacta item conventa inter Valachia Transalpinæ Vajvodam, & Ordines, ac Sigismundum Principem, de Provincia hac ejus Imperio plene submissa Albæ Juliæ conflata sub G. aliaque.

Istvanus Principatus Confæderatione Pragenfi pro Sigismundo, & Successoribus constituti Jura ita describit: Transylvano Illustris Principis Titulus, & Transylvania omnis, cum ea parte Hungariæ, quam ei attigam possedisset, ac Moldavia & Transalpina Valachia, quarum Vajvodæ seu Principes, a Turcis recesserant, seque Transylvano subdiderant, mero, & absoluto Jure cedebantur Hist. Libr. XXIX. Istvánium vero Senem jam venerandum Historiam scribentem mentem Fæderis Illius penitissime perspexisse credendum est. Ut qui summis sui ævi viris domi militiæque accensendus, sexaginta propemodum annis in aulis versatus, a Rudolphoque Imperatore gravissimis quibusvis negotiis adhibitus, & postquam Sigismundus Bathorius Principatum Rudolpho Cæsari, cedere destinasset, a Rudolpho missus in hanc resignationem Legatus, moxque dirigendæ Transylvaniæ Commissarius nominatus, Acta isthæc exploratissima habuit.

Palma in Notitia rerum Hungaricarum Part. 3tia in Vita D. Rudolphi Principatus Sigismundi Bathory, & Hæredum Fædere Pragenfi circumscripti Potestatem ita explicat — — Concordia coaluit: Ut Sigismundus Bathori Transylvaniam, & vicinos Comitatus quatuor, inter quos præcipuus erat Bihariensis, Partium Hungariæ nomine appellatos, hæreditario deinceps ad Masculinum sexum Jure Principisque Titulo possideret, Clientem tamen se S. Coronæ Hungariæ profiteretur — — cum vicini Moldaviæ & Valachia Vajvodæ in Sigismundi Clientelam ultro concesserint, in has quoque Provincias Supremum Majestatis Jus Eidem & Hæredibus illius permetteretur &c.

Ultra ea, quæ proxime, & superius memorata sunt, Fædere hoc Comitatum quoque Bihariensem, eadem prorsus ratione, qua ipsam proprie ita dictam Transylvaniam contineri, ipse contextus Fæderis indicat: nempe

Articulo 1mo. Sancitum est, ut in Transactione tam Transylvania, quam Ditiones illi subjectæ contineantur.

Articulus 2dus includit etiam cunctas Hungariæ Partes, & Confinia hactenus per Principem Sigismundum Bathory possessas, & possessa, atqui quod Comitatum Bihariensem Sigismundus Bathory possederit, & priora demonstrant, & hoc extra dubium collocat, quod docentibus ipsis Fæderis Tabulis, Legatus ad hoc Fædus percutiendum Sigismundi Bathori Principis fuerit Stephanus Botskay de Kifs-Marja Capitaneus Váradensis, & Comes Comitatus Bihariensis, Consiliarius, & Orator dicti Principis, aliquot in Comitatu Bihariensi Arcium, & Dominorum Dynasta. Hunc certe Comitatum Bihariensem Fæderi haud inclusisse, ne cogitatione quidem fingi potest.

Imo quod Comitatum Bihariensem Antecessores quoque Principis Sigismundi Báthory Articulo 2do nominati, Imperio mero mixtoque, cum omni proventu, Jure, & antiquo usu, liberaque Jurisdictione, simul cum Transylvania tenuerint, præter & ultra superiora, vel hoc unicum satis indicat, quod Capitanei Arcis Várad, iidemque plerumque exercitus Provinciæ Transylvanicæ, & Partium annexarum summi Duces, Supremi Comitatus Bihariensis officio perpetuo functi sint. Ut Documentum sub H. omni exceptione majus reliquaque monumenta testantur.

H.

Cum itaque Transylvania Jurisdictio, inclusis etiam cunctis Hungariæ Partibus per Principem possessis, merum mixtumque Imperium liberamque Jurisdictionem juxta Articulum 2dum complectatur; cum juxta eundem Articulum non sola præcise Transylvania, sed etiam ei annexæ Ditiones, in Regum Hungariæ Ditionem, & potestatem aliquando reversuræ statuatur: utique Leges Transylvaniæ, & Partium annexarum Statuum & Ordinum, in concursu cum Principe in favorem Comitatus Bihariensis incolarum latæ, his quoque suffragantur, Donationesque & Inscriptiones Principum his etiam factæ suum obtinent vigorem.

Nexus Transylvaniæ cum Partibus Regni Hungariæ eidem copulatis, arctus adeo fuerat, ut solo Transylvaniæ nomine tam Regio proprie ita dicta, quam annexæ Hungariæ Partes simul intellectæ fuerint. Ut tam tenores hujus Fæderis, quam aliorum Pactorum conventorum, Legumque plurimarum, ac usus Historicorum ostendunt.

Ita Articulus 56. 1595. per quem Fædus istud Constitutionibus Regni inferitur; ubique de Principe tantum Transylvaniae, Transylvanis, ac Transylvania loquitur. Cum tamen hac nomenclatione annexas quoque Partes Hungariae comprehendat. Fædus quippe illas etiam complectens ratificat, neque solum cum Principe Transylvaniae, sed & Partium Hungariae annexarum Domino Principe Fædus ictum est: Comitatus porro Szabolcs, Ugocsa, & Szathmár, in Confiniis Provinciae illius, quam sola Transylvaniae Appellatione insignit, Lex hæc constituit, ac ut a Dominis Transylvanis; idest a Comitatu quoque Bihariensi ex parte attiguo, non molestentur, stipulatur.

Articulus 35. 1596. notatu imprimis dignus est, qui ita sonat: Illustrissimus Transylvaniae Princeps omnino requirendus videtur, ut cum subditi ipsius Varadini, & in Huszt commorantes plurimas Villas, in Comitatibus Szabolch, Szatmár, Ugocsa, & Beregh habitas, ad ejus Ditionem vendicare, & occupare nitantur, & sic non contemnenda Summa, ex Dica Majestatis Cæsareæ, ac gratuitis laboribus decedat: velit eos coercere: quia est contra Transactionem, cum eo, & Prædecessoribus suis factam. Præterea dignetur Sua Majestas Cæsarea apud ipsum Principem Transylvaniae efficere; ut cum Deo volente Arces Lippa, Jenö, Fankota, Vilagos - Vár, & alias e faucibus Turcarum eriperit, Bona ipsa Dominis eorum Terrestribus restituere velit, salva Illustrissimæ Dominationis Jurisdictione remanente juxta Transactionem Anno superiori cum eo factam.

Lex ista, Transactiones, & Fædera non tantum cum Sigismundo Bathory, sed & Prædecessoribus ejus facta, ut obligantia considerat.

Varadinum cujus Capitaneus erat Supremus Comes Comitatus Bihariensis, cuive Hajdones Comitatus illius, docentibus Actis Publicis, qua Capitaneus suberant, adeoque Comitatum Bihariensem, cum Hajdonibus ex Pactis Conventis Ditioni Transylvaniae innexum fuisse Lex eadem testatur.

Limitaneos Ditionis Regis Hungariae Comitatus Lex ista recenset, Comitatus itaque intra illos sitos, Maramarosensem, Közép-Szólnok, Kraszna, & Bihár Principem Transylvaniae Jure Fæderis possidere statuit.

Gratuitorum Laborum repartitionem, & Dicam intra suam cujusque Ditionem usu venire debere supponit. Leges ergo gratuitos labores dispensantes, sed de Comitatu Bihariensi, & Arce Vár ad tacentes indicant, Comitatum hunc, & Fortalitium istud ad Ditionem Transylvanicam pertinuisse.


Eadem Lex docet Comitatum Bihariensem juxta Art. 21. 1552. Transylvaniae dudum annexum, ex pactis conventis eo pertinuisse.

Explicat porro Fædus Anni 1595. & Juris armorum indolem, eatenus quoque, quatenus Jure Postliminii, sicut summi Imperii, ita etiam Privatorum proprietatis, & Possessorii Jura reviviscere, in recuperatis ab hoste Regni Partibus pro principio sumit.

Sigismundus Principatu in Transylvania, & Partibus Regni Hungariae: Moldavia item, & Valachia Transalpina, ac recuperatis a Turcis in Districtu Temesiensi Ditionibus, Majestatis Jure aliquo tempore potitus, Provinciam Rudolpho Cæsari Regi Hungariae cedere, atque privatam vitam agere in animum inducit, ac licet Cæsar non desitisset eum per Arbitros Pontificium, & Hispanicum Legatos dehortari, postremo coram serio disuadere, ac ex intempestiva ea Principatus abdicatione, gravissima Transylvaniae & Ditionum subjectarum pericula prædicere, quia tamen adeo obstinate propositum urgeret, ut nisi mos illi gereretur Transylvaniam Polonis etiam, aut Turcis se resignaturum minaretur: Cæsar salutis Provinciae metuens annuit tandem. Atque

Anno 1597. Pragæ res ita transacta est: Ut Sigismundus Princeps Principatum Transylvaniae, Partiumque Hungariae, quas huc usque possedit, Cæsari, ejusque legitimis Successoribus, jure perpetuo cederet, Cæsar vero Opoliensem, & Ratiboriensem in Silesia Ducatus, eidem vita comite, cum Stipendio annuo Quinquaginta millium aureorum pleno Jure concederet. Ipse autem Praga discedens ad certum diem Comitata indiceret, ad quæ Cæsar idoneos Legatos cum Diplomate Transactionis mitteret, per quos Provincia, absque bello & Armis nomine Cæsaris adiretur, ad quam postea suis Legibus gubernandam Maximilianus Cæsaris Frater eo mitteretur: Mox

Anno 1598. Indictis Albam Juliam Comitibus Legati Cæsaris, quos inter erat Nicolaus Istvanfius, in Conventum introducti, Cæsaris ad Status & Ordines Provin-



ciæ datas Legatorum Fidei Literas, seu Credentiales exhibent, ac postquam Summam Legationis suæ exposuissent: quod nimirum Sigismundus Princeps Principatum suum cum Rudolpho Cæsare, per Ducatus Opoliensem, & Rati-boriensem concambiasset: missos itaque se esse, ut Pactio illa Consensu Parti-um, & Sacramento Fidei utrinque confirmaretur: Status & Ordines Regni in Comitibus congregati, ac Legati quoque Cæsaris conceptis verbis iuraverunt, & confecto illum in usum volumine, in quo fides Cæsari data erat inscripta, eam pro se quisque singuli Statuum & Ordinum sua Subscriptione & Sigillo confirmaverunt, utque ii, qui Comitibus Generalibus haud interfuerunt, in Co-mitatum Congregationibus ad eam formam jurent, iisdem Comitibus conclusum.

Juramenti per Legatos præstiti Formula, Constitutionis Principatus istius, ex Transylvania & Partibus Hungariæ annexis conflati indolem non obscure indigitat. Appellatur illic Sigismundus, per Legatos Cæsareos, Serenissimus Princeps Transylvaniae, Siculorum Comes, ac Partium Regni Hungariæ Dominus; Legati missi dicuntur, non ad Principem solum sed simul ad Proceres Status, & Ordines universos Provinciae. Jurant Legati per istud vinculum Cæsaris & Regis, quo Regno Hungariæ, & ejus Coronæ obligatus erat. Jurant ejus tamquam Regis Coronati Hungariæ aliorumque Successorum Regnum legitime intrantium nomine. Diserte in Juramento profitentur: ita demum Cæsarem Provinciam legitime recepturum: Si Princeps Transylvania, & Ditionibus ad eam de facto pertinentibus se abdicaverit, plenarie cesserit, & per se atque omnes, & singulos Prælatos, Proceres, Status, atque Ordines cujuscunque Conditionis existant, eas in manus Cæsaris Hungariæ Regis omnimode, & totatiter assignaverit; seu Legatis de facto resignaverit, & remiserit, ad idque Status quoque ipsi universi Transylvaniae, & Ditionum ejus spontaneum, liberum & benevolum assensum præbuerint. Jurant inter reliqua, quod Sacratissima Majestas Privilegia omnia, Jura, Ordines, Immunitates, Libertates, Status, Donationes, & reliqua observabit, rata, & firma habebit. Ut sub I.

I.

Juramenti per Legatos Cæsaris præstiti exemplar, ac initæ cum Sigismundo Pactionis Syngrapham Alberto Süveg Regio Judici Cibiniensi, ut sub fideli custodia conservaretur, tradi placuit.

Mox Princeps Sigismundus Proceribus & Statibus congregatis valedixit Principis dignatione se se & Provinciales fide exsolvit.

Communi itaque omnium Ordinum nomine Principi valedictum, isque religione omni, & Sacramento Juramenti, quo se Regno obligasset per congregatos Status, & Ordines Transylvaniae, ac Partium Hungariæ incorporatarum exolutus est. Ut Volf Bethlen Hist. Lib. IX. Istvanfius Hist. Lib. XXX. & XXXI. Petrus de Reva Cent. VI. Palma N. R. H. in Vita Rudolphi Imperatoris & Regis recensent.


Quæ omnia animadvertere in hac materia maxime interest. Constitutionem quippe, fundamentalesque Leges ejus Provinciae illustrant, quam e Transylvania, & attiguis Comitibus, eadem fortunæ vis, idemque ab immani hoste perpetuo impendens periculum ac securitatis, cujus causa in Civiles societates coitum est, studium composuerat. Luculento porro docent exemplo, quantam Pactionibus & Fæderibus inter Reges Hungariæ, Principes Transylvaniae ac Partium annexarum, & utriusque Regni Status, & Ordines Contractis Sanctimoniam Divi Principes Austriaci, ac Exc. Proceres, & I. Status & Ordines Regni tribuerint. Lumen deinde affundunt Pactis Conventis, sive jam memoratis sive deinceps persequentis.

Sigismundus inconstantis animi Princeps, Anno eodem in Transylvaniam revolat, cum Maria Christierna conjugæ reconciliatur, Principatum resumit, moxque missis ad Divum Rudolphum Cæsarem Regem Hungariæ Legatis, eundem adeo placat, ut Anno eodem.

1598. Cæsar Provinciam iisdem, quibus antea sancitum erat, Pactis, Sigismundo possidendam reliquerit.

Sed necdum Legati redierant, cum Sigismundus Patruo Andreae Bathorio Cardinali Principatum cessit, atque ita Provinciam perniciosissimis turbis involvens, in Poloniam secessit.

Andreas Cardinalis, de conciliando Cæsare Rege Hungariæ, cum Statibus & Ordinibus serio laborans, Cæsarem edocet, se, ac Provinciales, Pacta quæ inter Sigismundum



Sigismundum Principem, & Cæsarem proximo quinquennio intercessissent, sancte observare velle. Sed a Michaelae Transalpinæ Vajvoda bello petitus vincitur, & in fuga obtruncatur, prout hæc universa Volf. Bethlen Hist. Libr. IX. & X. Istvanus Lib. XXXI. Joan Nadányi in Flor. Hung. Lib. IV, Palma, Compluresque alii recensent.

Michael Vajvoda Milesque ejus, dum per rapinas, cædes promiscuas & quævis flagitia plusquam hostiliter passim grassarentur, a Georgio Basta Duce Cæsareo per Transylvanos in auxilium vocato, profligantur.

Pulso Valacho, Status & Ordines Transylvaniae universi in Conventu Leczfalvensi concludunt: ut quantocius Divum Cæsarem & Regem Hungariæ, de constituenda futura Provinciæ istius administratione interpellent, atque ita.

Anno 1600. Georgius Basta Dux Cæsareo Regius, nomine Imperatoris & Regis juravit; de Legibus, Privilegiis, Libertatibus ac Juribus & Consuetudinibus, Religionibusve in quibus vivunt, sancte confirmandis & observandis.

Anno 1601. Georgius Basta, postquam Sigismundus Bathorius, rursus Principatum invadens, victus ac ejectus esset, Provinciæ Gubernationem solus nactus, contra solemnem a Cæsare Rege Hungariæ cautionem Provinciæ datam, contraque Christiana Prorsus & sapientissima Divi Mathiæ, eotum adhuc Archiducis monita, Teste Istvanio oculato & gravissimo, rebus secundis luxuriare cepit, avaritiæ rapinis, ac cædibus adeo immerfus est, ut supraquam dici credique possit, a bono, & honesto in pravum abstractus, crudelitate sua, & habendi libidine, non ultimus belli, quod secutum est, civilis ac intestini concitator fuisse crederetur.

Postquam enim Transylvaniam ad desperationem adegisset, Moyseque Siculus ad Turcas confugiens, ac a Turcarum Imperatore Provinciæ Transylvanicæ Imperium sibi & posteris impetrans, Turcarumque, ac popularium suorum auxiliis subnixus Bastam Transylvania extrussisset, is vero a Radulone Valachiæ Transalpinæ Vajvoda inopina invasione nocturna cæsus occubisset, Transylvaniam solitiis avaritiæ & crudelitatis generibus adeo devastavit, ut inde suborta immensa annonæ caritas (25 aureis modius frumenti veniebat) diram famem, fames pestilentiam generaret, compertaque crebra exempla, virorum, mulierum, imo puerorum quoque, qui obscæna fame compulsi, carne humana morbo aut nece pereuntium vescerentur. Tantaque jumentorum subiit penuria, ut in Regione ista, alias equorum, boumque feracissima, homines aratris, & vehiculis jungerentur; unde hodie Biga, seu birotum, Bastæ currus illic nominatur. Ut provocati Scriptores non sine horrore legentium enarrant.

His malis accessit, afflicta etiam, & perturbata rerum in Hungaria status quem sincera fide enarrant coævus Scriptor Testis locupletissimus Nicol. Istvanus, Nadanyi porro & Volf. Bethlen breviter perstringunt, ac Palma Not. R. H. in vita Rudolphi Imp. & Regis compendio exhibet, Leges denique ea ætate conditæ, & acta quæ supersunt Comititalia pandunt.

Animadvertendum isthic occurrit, quod Leges Hungariæ de Transylvania, annexisque ei Comitatibus, ac in specie Bihariensi ab Anno 1552. usque 1556. disponant ideo, quod isthac Periodo, cedente Isabella Regina, sub Ditione Regis Hungariæ fuerint.

Post Annum vero 1556. usque Annum 1599. non disponant Leges propterea: quod Principum Transylvaniae & Partium Hungariæ annexarum Ditioni subfuerint Comitatus illi cum Transylvania.

Ab Anno porro 1559. usque 1604. inclusive, rursus de Transylvania & conjunctis Hungariæ Partibus, ac in specie Comitatu quoque Bihariensi Leges disponant idcirco; quia tradente Principatum Sigismundo Bathorio, Divo Rudolpho Imperatori & Regi tantisper subjacuerint, donec Principatui Stephani Bocskay & Successorum submitterentur.

De Comitatu Bihariensi & Arce Várad ab Anno 1599. usque 1604. jam feruntur Leges istæ: Art. 11. & 31. 1599. 9, & 25. 1600. 3, & 25. 1601. 3. 1602. 8. 1604.

Inter hos notatu digni sunt imprimis Articuli 31. 1599. & 25. 1601. qui expresse dicunt, *tunc primum Comitatum Bihariensem*, & quidem sponte sua Majestati Regis Hungariæ sese subdidisse.

Vel hæc itaque binæ Leges, publicum ac omni exceptione eminentius præstant Testimonium, & tunc cum Fædus Pragense Anno 1595. concludere-



tur, & antea Comitatum Bihariensem, arcemque Varadiensem, in Ditione Principis Sigismundi, ejusque Prædecessorum fuisse: consequenter Clausulis Fæderis illius hisce: *inclusis etiam cunctis Hungariæ Partibus, & Confiniis, hactenus per Principem possessis* nec non: *Ditiones Transylvaniæ subjectæ: item Transylvania, eique annexæ Ditiones, & reliquis manifeste comprehendi.*

Emerfit deinde Insurrectio Stephani Bocskay, qui Anno 1605. in Transylvaniæ & Partium annexarum Principem eligebatur. Ab hujus Principatu sæculo fere integro, Transylvania cum incorporatis Partibus Regni Hungariæ, ac in specie Comitatu Bihar a Regno Hungariæ continuo sejuncta mansit.

VIII. Anno 1606. Viennensis Pax inita est. Cujus Tabulæ subsequentibus Pacificationibus, Diplomatum, Pactis conventis Comitibus, ac numerosis Legibus, & Sponsione vicinarum Provinciarum confirmatæ, in Corpore Juris Patrii exstant.

Pacificatione ista, ad Transylvaniam, cum Partibus Hungariæ, quas Sigismundus Bathory habuit, etiam Arx Tokaj cum pertinentiis, una cum duobus integris Comitibus. Ugotsa, & Beregh, tam intra quam extra Tibiscum habitis similiter cum antiquis suis, metis, & pertinentiis & Fortalitium Szathmár, cum eodem Comitatu adjiciuntur.

Tituli Majestatis indices, cum insigniis Botskajo tribuuntur iidem, quos Sigismundus Bathory habuit: ut nimirum Princeps Imperii & Transylvaniæ, Siculorum Comes, & Partium Regni Hungariæ Dominus nominetur.

Decernitur relaxatio Juramenti Transylvanorum ratione fidelitatis Suae Majestati Cæs. Reg. præstiti.

Nicolaus Istvánfius Propalatinus & Janitorum Reg. per Hungariam Magister, unus Legatorum Cæsareo Regiorum, qui Tractatui interfuerunt, & Conditionibus ejus subscripserunt Hist. Lib. XXXVIII. Pacem hanc compendio exhibens, Extensionem Principatus Transylvanici & Partium Hungariæ adjunctarum ita describit; Transylvania omnis, cum ea parte Hungariæ, quam Sigismundus Bathorius obtinuit, & insuper omnis ultra Tybiscum Ditio, simul cum Arcibus Szathmaro & Tokajo Bocskajo conceditur; Comitatus præterea Bereghianus, & Ugocsianus adjiciuntur. Conspirant cum Istvánfio Petr. de Revá de Mon. & C. H. Nadanyi in Flor. Hung. Sylloge porro Actorum publicorum, Historiam & Sensum Pacificationis Viennensis illustrantium Anno 1790 opera Victorini de Chorebo Philohistoris, seu Cl. Nicolai Sinay editorum, nec non Palma Not. R. H. in vita Rudolphi Imp.

Tempore confectæ hujus Pacis Varadinum Bocskajo, ex Fædere traditum est, jussique illinc excedere Cæsarei Duces, qui illud eousque propugnaverant. Ut Istvánfius Hist. Lib. XXXIV. commemorat.

Stephano Bocskay 28-va Decemb. 1606. sine Hærede mortuo; Sigismundus Rákótzky, per Transylvanos, & adhærentes Hungariæ Partes Anno 1607. in Principem electus, Conditiones per Status & Ordines ejus Provinciæ, sibi occasione Electionis propositas, solenni in Comitibus Juramento firmavit ut sub K. Moxque consentientibus Provinciæ Ordinibus Anno 1608. Principatum Gabrieli Báthory de Somlyo cessit. Ut Istvánfius Hist. Lib. XXXIV. Nadanyi in Flor. Hung. App. Cons. Part. 2. Tit. 1-mo Art. 1. Palma N. R. H. in vita Rudolphi.

K.

Gabriel Báthory in Comitibus Transylvaniæ & Partium Hungariæ annexarum Anno 1608. per Status, & Ordines Provinciæ in Principem electus, Conditiones illic sibi oblatas acceptavit, & Juramentum solemne præstitit.

IX. Anno 1608. Postquam D. Mathias II. cedente Rudolpho Cæsare Fratrem rerum in Hungaria potitus est, Comes Palatinus Regni Stephanus Illyésházy, cum adjunctis Commissariis, ex consensu Regiæ Majestatis, cum Legatis Principis Transylvaniæ Cassoviæ certos Articulos concluderunt, illosque tum ipsemet Princeps, tum Transylvani Juramento, & peculiaribus Reversalibus firmaverunt. Utque illi Articuli in Comitibus Hungariæ, tam per Majestatem Regiam, quam etiam Status, & Ordines Regni solemniter confirmarentur, missis ad Comitibus Hungarica nunciis, idem Princeps postulavit. Articuli hi consensu Regis Statuumque, & Ordinum Regni Hungariæ ratificati, utque Decreto tum edito inserantur Art. 19. 1608. post Coron. conclusum est.

Transactione hac Constitutiones Viennenses, tam per Regem Regnumque Hungariæ, quam per Principem Statusque & Ordines Transylvaniæ & Partium annexarum confirmantur.

Partes Regni Hungariæ, ab antiquo Transylvaniae adjunctæ, interque eas præcipue Comitatus Bihariensis in unione ista Provinciæ diserte stabiliuntur. Ut Articuli 11. & 19. Anni 1608. post Coron. tenent. Ac Nadányi in Flor. Hung. breviter attingit, & Continuatio Istvánfi Lib. XXIX, nec non Palma N. R. H. in vita Rudolphi narrant.

Vel his Comitibus Anni 1608. perlatæ Leges ostendunt: Quod Comitatus Bihariensis perinde prout ipsissima proprie dicta Transylvania Regi, Comitibus, Legi, ac Magistratibus Regni Hungariæ amplius neutiquam subfuerit. Adeoque

Nuncios quoque ad Generales Regni Diætas in Hungaria celebrandas a Comitatu Bihariensi Principes mittere nequaquam tenebantur, neque ullæ deinceps latæ Leges hoc deposcunt. Id enim in Pacificatione Viennensi de tribus præcise Comitibus, Ugotsa, Beregh, & Szathmár, intelligendum est, qui nempe deinceps quoque ad Hungariam pertinebant, & juxta Pacta conventa Bocskajo in Linea Masculina deficiente Transylvaniae non amplius adhærebant. Scilicet.

Jam Articulus 15. 1608. post Coronationem. Arcis Váradensis, & Comitatus Bihariensis in limitatione gratuitorum laborum nullatenus meminit. E contra ad Arces Tokaj, & Szathmár præstandos gratuitos labores limitat & Comitatum Szathmár, Ugotsa ac Beregh, gratuitos labores ad Arcem Szathmár assignat. Manifesto indicio, quod Pacificatio Viennensis, ac Leges per Ditiones, & Comitatus Principi Bocskajo ita datos; ut tamen ad Regnum Hungariæ pertineant, ac Legislationi Hungariæ porro quoque subsint, tantum Szathmár Tokaj, & Comitatus Szathmár, Ugotsa & Beregh intelligant; Comitatum vero Bihariensem, velut iis Partibus Hungariæ, quas Sigismundus Bathori habuit, indubie innexum Jurisdictioni Transylvanicæ, liberæ, integræ, ac absolutæ, & mero mixtoque semper Imperio reliquerint.

Pacificatio ipsamet Viennensis, Juribus, & Titulis Principatus, Fædere Anno 1595. cum Sigismundo Bathori icto constitutis, addit plura, ac ne quidem istud Juramentum Fidelitatis, quod Regi Hungariæ Sigismundus Bathorius, ex Fædere præstare tenebatur a Stephano Bocskay exigit; imo Subditis quoque Principis Transylvaniae, juramentum ratione fidelitatis Regiæ Majestati præstitum relaxat. Potestatem ergo eminentiorem Principi tribuit, quam Fædus Anni 1595. pepigerat.

Leges ergo quævis Hungariæ deinceps latæ, usque Comitatus Bihariensis Regno Hungariæ reincorporationem, ad hunc non pertinent.

Illæ itaque Leges etiam, quæ de Bocskajanis, aut post aliquot annos de Bethlenianis Donationibus, aut Inscriptionibus revidendis, & non observandis, aut per Regiam Majestatem confirmandis sonant, similesque aliæ, Punctaque etiam Pacificationis Viennensis, eatenus conclusa, utique ad Comitatum Bihariensem, velut usque Reincorporationem, præcise Legislationi Transylvanicæ, & nullatenus Hungariæ subjectum pertrahi non possunt.

Comitatus Bihariensis, ejusque Incolæ, Leges deinde accipiebant semper a Comitibus Transylvaniae, & Partium annexarum, quales Codex Legum Transylvanicarum, numerosissimas continet; Privilegia vero impetrabant a Principibus Transylvaniae, quæ infinita hucdum usu vigentia exstant, ac servantur.

Articuli 2dus & 3tius Anni 1609. de Donationum & Inscriptionum Bocskajanarum, juxta Articulos Viennenses, Revisione, Discussionem, & Cassationem sonantes, non tantum ad Comitatum Bihariensem, sed ne quidem ad 3 Comitatus Ugotsa, Beregh, & Szathmár Pacificatione Viennensi Bocskajo cessos extenduntur, videlicet.

Articulus 8. 1609. Collationem Bonorum per Principem Bocskay in tribus Comitibus Ugotsa, Beregh, & Szathmár existentium, modo hac Lege declarato, in suo vigore relinquit, ut adeo

Donationes Bocskajanæ, in tres Classes Sensu Articulorum Viennensium, & Legum dispescendæ sint. Nimirum: In eas, quæ in tribus prænotatis Comitibus Bocskajo cessis factæ sunt, & de his Articulus 8. 1609. loquitur. Deinde in eas, quas in Transylvania, & Partibus Regni jam Fædere Pragensi Anni 1595. comprehensis, adeoque & Comitatu Bihariensi contulerat; de his velut Legislationi Hungariæ nullatenus subjectis, Leges Comitiorum Hungaricorum nullæ disponunt. Denique in eas, quas in reliquo Corpore Regni Hungariæ fecerat, quas Artic. 2. & 3. Anni 1609. respiciunt.



Articulus 9. 1609. ad Hajdones Comitatus Szabolcsensis spectat; non ad eos qui Comitatum Bihariensem iucoluerunt, horum enim Jura & Privilegia Leges Transylvanicæ confirmarunt.

Articulus 61. 1609. gratuitos labores limitans, & ordinem Reædificationis Confiniorum decernens, Arcium Tokaj, Szathmár, Comitatumque Ugoesa, Beregh, & Szathmár meminerunt, quia juxta Articulos Vienneses, hæc licet Principi Bocskay cessa ad Hungariam quoque pertinebant, & Nuncios ad Comitata Hungarica mittebant. Idem tamen Articulus, de Comitatu Bihar, & Arce Várad, reliquisque Partibus Regni Hungariæ Fædere jam Pragenfi 1595. comprehensis altum tacet: quia non Hungariæ, sed Transylvanicæ Legislationi suberant.

Articulus 68. 1609. decernit Legatos in Transylvaniam quoque non secus, ac ad alia Regna mittendos, & quidem eorum Legationem tam suæ Majestatis, quam Regni nomine fieri debere. Lex illa Constitutionem Provinciæ istius & ad Regnum Hungariæ Relationem indicat.

- X. Anno 1612. Intercessore Regni Palatino, Gabriel Báthory, Princeps Transylvaniæ, cum Divo Mathia Rege, qui in eum arma moverat reconciliatur, & priora Pacta conventa instaurantur. Ut Continuatio Istvánfi Lib. XXXIX. Nádayi, Palma, aliique recensent.

Sequebantur Comitata Anni 1613. quorum

Articulus 2dus de Bonis Ecclesiasticis & sæcularibus per principem Bocskay ademptis disponens, quod ad Comitatum Bihariensem non pertineat, per se liquet.

Art. 5tus de Tractatu cum Gabriele Báthory hoc decernit, quod Conditiones cum eo conclusæ pro tunc Articulis Regni inferantur, si Princeps Transylvaniæ, & Status, ac Ordines Transylvaniæ, Partesque Hungariæ eidem subjectæ easdem confirmaverint, & Confirmationem transmiserint.

Articulus 8vus gratuitos labores limitans, de Arce Várad & Comitatu Bihariensi flet: quia Legislatio Regni Hungariæ, illuc non porrigebatur. Eratque ex Partibus Regni Hungariæ, Transylvaniæ Fædere Pragenfi Anno 1595. ita connexis, ut juxta Articulum 5tum Anni hujus 1613. ac 19. Anni 1608. ad Tractatus Provinciæ Transylvanicæ, & Principis illius, cum Rege Regnoque Hungariæ ineundos, earum quoque consensus requiretetur.

Gabriel Báthory 25ta Octobr. 1613. obtruncatur, in Principemque Transylvaniæ & Partium Hungariæ in Comitibus Transylvanicis eligitur Gabriel Bethlen, qui

- XI. An. 1613. Juxta Capitulationem Statuum Provincialium missis Viennam Legatis, confirmationem Pactionum & Fæderum obtinet; & mox

- XII. An. 1615. 6. & 16. Maji inter D. Mathiam II. Cæsarem ac Regem Hungariæ, & Gabrielem Bethlen Principem Transylvaniæ, Partiumque eidem subjectarum Fædus pangitur. Puncto ejus 1. sancitum est: Quantum ad Statum Transylvaniæ, Partiumque eidem annexarum attinet: per Nos & successores Nostros legitimos Hungariæ Reges in hac libera electione Principatus, quam nunc habent, conservabuntur, donec Dei beneficio Buda, & Agria a potestate Turcica eliberabuntur. Qua eliberata, Transylvania cum partibus sibi adnexis in pristinum statum, uti tempore antiquorum Regum per Officiales Regios gubernata fuerat, redeat.

Ac prout in Fædere Pragenfi Anni 1595. conventum erat; ita hic quoque conclusum est; ut in casu memoratæ Devolutionis, *Leges, ac a Divis condam Regibus, & deinde Principibus ipsis collata Privilegia, antiquæ Consuetudines, & Libertates, salvæ, integræ, & inviolatæ conserventur, nec ullo modo turbentur, & si quæ collapsa fuerint, restituantur, ut sub L.*

L.

Comitata Anni 1618. Fædus illud subsequebantur, cujus

Articuli 2. 48, & 73, quod de militibus Hajdonibus nequaquam Comitatum Bihariensem incolentibus loquantur, ex combinatione harum Legum, ac ex superioribus inclarescit.

Articulus 49. hujusdem anni gratuitos labores distribuens, omniaque fortalia Legislationi Hungariæ subjacentia recensens de arce Várad, & Comitatu Bihar profunde flet, quia ex pactis conventis præcise Legibus Transylvanicis suberant.

Articulus 72. 1618. Fædus Anni 1615. cum Principe Transylvaniæ percussum patihabet, ac tum ideo, tum quia vicinitas inter istam Provinciam, & Regnum

Regnum Hungariæ intercedit, statuit: ut liceat Regnicolis Ditionis Regis Hungariæ Partes Transylvaniæ, & Bona sua ingredi, illisque providere, ac Jus suum, qui ad nonnulla Bona se habere prætenderent, vel Jure mediante, vel aliis mediis prosequi: ast

XIII. Anno 1618. Dum Divus Ferdinandus II. in Comitibus hujus Anni juxta Art. 38. in Regem eligeretur, ac coronaretur, Diploma Capitulationis 15ta Maji sub-signatum præcedens illud Fœdus, solennius adhuc confirmavit: 12ma enim conditione Confœderationum, cum Transylvania quoque initarum, observatio sancitur.

XIV. An. 1621.) Conclufa & promulgata est Pax Nicolaopolitana, seu Nicolsburgensis, ab hoc Moraviæ Oppido, quo Partis utriusque arbitri, de pace acturi convenerant, denominata, in Comitibus Sopronienfibus Anni 1622. Regis & Regni Ordinum consensu roborata. Scilicet

Articulo 2do inferitur prænotatum Diploma Inaugurale cujus Conditione 12ma Pacta conventa cum Transylvania quoque observanda sancuntur, Articuli que Pacificationis Viennensis, pluribus in Conditionibus pro norma, & basi sumuntur.

Articulis 6to usque 14. 19. 29. 30. 36. 59. 74. 76. & multis aliis effectus hujus Pacificationis intenditur.

Articuli Diætæ hujus de Donationibus Bethlenianis cassatis, restrictoque Principatus Bethleniani tempore, & Jure sonantes, partim septem præcise Comitatus Articulo 29. nominatos, partim reliquam Hungariam, Ditioni Regiæ relictam respicere clarissimum est. Scilicet

Principi Gabrieli Bethlen S. Regni Coronam, & reliqua Insignia restituenti, Regio Titulo renunciandi, Arces & Civitates alias reddenti, militemque e parte Cæsari Hungariæ Regi relictam educenti, inter alia dati sunt 7. integri Comitatus Regni, ultra & Cis-Tybisicum, utpote Szathmár (cum ejusdem nominis Castro) Szabolcs, Ugotsa, Beregh, Zempleny, Borsod, (excepto Castro Szendrö) Abaujvariensis, una cum Civitate Cassoviensi ad ejusdem vitæ dies.

Conditiones, quibus hi 7. Comitatus Principi isti cedebantur, Articulo 29. 1622. recensentur.

In his etiam Comitatibus per Notam, & Defectum, sive alio quovis legitimo modo, de Jure devolvenda Bona conferendi potestas Principi Bethlen tribuitur, decerniturque, ut Confirmatio Donatariis per Suam Majestatem concedatur, atque in Cancellaria Regia gratis expediatur. Sed


Ista Regia Ratificatio, manifeste de 7. tantum hisce Comitatibus intelligenda est, ac ibi quoque ad Donationes Bonorum restringitur. Et in his etiam Bonorum Collationibus sensu Tit. 37. 1mæ Confirmationem non esse de neesse, verum de meliori esse Donationum, Lex ipsa indigitat; eum enim sensum habet; ut si qui Donatarii Principis Confirmationem desideraverint, Regia Majestas concedat, atque in sua Cancellaria gratis expediri faciat.

Certe Nobilitationes, vel in 7. istis Comitatibus, sive per Principem Bethlen, sive per Rakotzios factæ, absque etiam Confirmatione Regia per Dicasteria observantur & pro validis habentur.

Notatu imprimis digna est ista Conditio: Ne Transylvania quoad prædictos 7. Comitatus & Civitatem Cassoviensem, aliquid Juris, & Successionis sibi vendicet: supponit scilicet Transylvaniam, seu Status & Ordines Transylvaniæ & Partium Hungariæ eidem subjectarum, diversam a Regno Hungariæ Rempublicam constituisse, eamque in hac separatione, post mortem etiam Principis Bethlenii perduraturam: Successio quippe non nisi mortuo Principe Bethlenio prætendi potuisset.

Rex itaque & Regnum nihil derogare voluerunt Fæderi Tyrnaviensi Anni 1615. quod Diplomate Ferdinando Anni 1618. Anno 1622. inarticulato, Articulo item 72. 1618. roborarunt, quo Electio quoque Principatus Statibus & Ordinibus Transylvaniæ & Partium Regni Hungariæ eidem subjectarum salva relinquitur.

Comitatum Bihariensem his conditionibus, quibus 7. Comitatus Articulo 29. Bethlenio dantur, non illigari, palam est. In omnibus Fæderibus, & Pacificationibus superius recensitis, iisdem, quibus reliquæ Transylvaniæ Pactis conventis, Status hujus Comitatus definitur.



Et prout in ipsamet Transylvania, ita in Comitatu Bihariensi Donationes Principum Confirmatione Regia non egebant, eodemque quo in Transylvania ritu Statutio recte peragebatur. Ut Decisio quoque Tabulæ Regiæ sub Commissione Neo-Acquisita, & Ratificatio Regia sub M. documento est, scrupulumque omnem penitus tollit.

M.

Articulus 36. hujus Diætæ gratuitos labores ad Arces, seu Confinia limitans, de 7 istis Comitatibus Articulo 29. Principi Gabrieli Bethlen ad dies vitæ datis, Confiniisque in iisdem dein sitis disponit. De Arce autem Váradienfi, & Comitatu Bihariensi penitus tacet. Id quod ostendit diversum fuisse Statum Comitatus Bihariensis, a statu septem istorum Comitatum, huncque Legislationi præcise Transylvanicæ ita, sicut proprie dictam Transylvaniam subfuisse, imo nomenclationi Transylvaniæ, Partes quoque Hungariæ, eidem Principatui subjectas, a septem Comitatibus prænotatis distinctas, tam Articulo 29. 1622. quam aliæ Leges, & Pacta Conventa includunt.

Vix extincto incendio flamma rursus erupit. Sed

XV. 1624. 8va Maji Viennæ Pax inter Ferdinandum 2dum Cæsarem, & Bethlenium Principem confit, iisdem fere quibus antea Nicolsburgi Conditionibus, cujus Punctis ea, quæ Articulo 2. 1622. de 7 Comitatibus Principi Gabrieli Bethlen ad dies vitæ celsis decreta sunt, inseruntur. Transylvania vero, cum aliis Hungariæ Partibus eidem subjectis in statu priori relinquitur. Inque casum eum, si Turcarum Imperator, ob hunc Tractatum Provinciam, & Ditiones Principatus Transylvaniæ invaderet: Cæsar non solum sua propria, sed & Principum Domus Suæ, Regis item Hispaniarum, & totius S. R. I. auxilia liberaliter promittit. Ut sub N.

N.

Bello composito; promissi hujus, ut Bethlenius apud Status & Ordines Regni Hungariæ omni Studio allaboraret, quo primogenitus Cæsaris Filius Ferdinandus III. in futuris Anni 1625. Comitibus in Regem Hungariæ eligeretur, & coronaretur, ille idem fidem explevit: missis Sopronium suo, Provincialiumque suorum nomine Legatis. Vicissim Bethlenius Princeps, intermeditatione Cæsaris adjutus Joannis Sigismundi Brandenburgici Electoris Sororem Matrimonio sibi junxit. Ut Continuatio Istvánfi Lib. XL. Nadányi in Flor. Hung. Palma in vita Ferdinandi II. referunt, ac in opere Recueil des Traités & d'Autres Actes Publics nominato Tomo III. ad annos provocatos Conditiones Pactionum istarum visuntur.

XVI. Anno 1625. In Comitibus in Regem electi Divi Ferdinandi III. Diploma Inaugurale Anno tandem 1638. Diætalibus Constitutionibus Articulo 1mo insertum Conditione 12ma de Confæderationibus, cum Transylvanis quoque observandis idem sancit, quod Diplomatis Anni 1618. Anno 1622. in Legum Tabulas relati, duodecima perinde Conditione, sancitum cernitur.

Articulus hujus Diætæ 19nus in Limitatione gratuitorum laborum, refert se ad Art. 36. 1622. qui Arcis Várad, & Comitatus Bihariensis velut non Hungariæ, sed Transylvanicæ Legislationi subjacentium, nullatenus meminit.

XVII. Anno 1626. Mense Decembri, inter Cæsarem Regem Hungariæ, & Principem Bethlenium Fædus 3tium coalescit Pofonii, quo Pacificationes Viennensis, Nicolsburgensis, & omnes Tractatus antea conclusi renovantur, & confirmantur. Ut Recueil de Traités & d'Autres Actes publics Tomo 3tio ad annos 1626. 27. ut sub O.

O.

XVIII. 1626. Princeps Bethlenius in Comitibus Transylvaniæ, & Partium Hungariæ subjectarum Claudiopolitanis Catharinam Brandenburgicam Conjugem suam, ea ratione in Principem eligi facit, ut ea olim vidua, Principatum conscenderet, eoque, durante viduitate, potiretur.

Divus Ferdinandus II. Cæsar & Rex in hanc Electionem tempore ejus cum Principe Bethlenio Connubii jam consenserat, Statusque & Ordines Regni Hungariæ quoque, ut supra visum est Pactis conventis multoties assensu sunt, ut Transylvania cum Partibus annexis, adeoque & Comitatu Bihariensi Statuum & Ordinum Provincialium Electione porro quoque Principes acciperet, & juxta Art. 29. 1622. ad septem duntaxat Comitatus, hoc Articulo Principi Bethlen ad dies vitæ datos, jus, & Successionem sibi haud vindicaret. Ut Codex Juris Transylvanici L. 1. Nadányi in Flor. Hung. & Palma N. R. H. in vita Ferdinandi II.

Principe Gabriele Bethlen Anno 1629. mortuo Catharina Brandenburgica Principatum obtinet.

XIX. Anno 1629. Capitulationem Statuum & Ordinum Transylvaniæ cum hac, in Codice Juris Transylvanici contentam, Cæsar quoque Rex Hungariæ ratihabuit. Inter cujus Puncta est illud quoque: Ut nihil Juris, quod liberam Electionem excederet, vidua Principissa in Transylvaniam, & huic conjunctas, ac subjectas Partes Hungariæ prætereat.

Mortuo Principe Bethlenio, Cæsar Rex Hungariæ, septem istos Hungariæ Comitatus, qui Pace Nicolsburgensi, ac Articulo 29. 1622. Principi Bethlenio, ad dies vitæ concessi erant, illico repetiit, & misso Melchiore Alagy Judice Curiae Anno eodem 1629. Mense adhuc Decembri recepit. Transylvaniam vero cum subjectis eidem Partibus Hungariæ, Principatui istius Provinciae porro quoque intactam reliquit. Unde liquido patet, quod Transylvania in Partes subjectas Regni Hungariæ, adeoque, & Comitatum Bihariensem Jus & Successionem, ex Pactis cum Rege, & Regno Hungariæ conventis habuerit, quod juxta Articulum 29. 1622. ad septem illic designatos Comitatus prætereat non poterat. Id quod porro quoque confirmat

Articulus 31. 1630. qui in limitatione gratuitorum laborum ad confinia, observari præcipit Articulos 36. 1622. & 19. 1625. qui Comitatum Bihariensem cum Arce Váradiensi nullatenus commemorant, velut sub eadem cum Transylvania Jurisdictione perdurantem.

Articulus 46. 1630. de restitutione Bonorum per Principem Bethlen in Superiori Hungaria occupatorum disponens, ad Comitatum Bihariensem, quod nullatenus porrigatur certum est: tum quod ille Legislationi Hungariæ non subfuerit; tum quod Leges Comitatum Bihariensem, monstrante Art. 21. 1552. aliisque Hungariæ inferiori accenseant.

Catharina Brandenburgica a Clavo abeunte; Anno 1630. in generali Conventu Transylvaniæ, & Partium Hungariæ subjectarum Sæsburgensi in Principem eligitur, postquam Conditionibus per Status & Ordines provinciales propositis subscripsisset Georgius Rákoczy, ejus nominis I. ut in Codice Juris Transylvanici videre est. Moxque

XX. Anno 1633. Tractatu Eperjesini instituto, inter Cæsarem Regem Hungariæ, & Rákóczium Transylvaniæ, huicque subjectarum Partium Regni Hungariæ Principem ita conventum est: Ut Rákóczius ejusque masculini sexus Hæredes Transylvaniæ, Partiumque Hungariæ subjectarum Principatum obtinerent; adversus quosvis hostes, solo Turca excepto, Hungaros pro viribus adjuverent.

Notatu isthic dignum est, quod paulo postea Copiæ Turcarum ad Oppidum Szalontha, quod inter supplicantiæ est, per Hajdones locorum infrascriptorum incolas ductu Sigismundi Kornisii, Váradiensis Capitanei, & Bihariensis Comitatus Supremi Comitatis, sub auspiciis Principis Georgii Rákoczy, cæsis viginti quinque eorum millibus, ingenti strage profligatæ sint. Ut hæc universa Continuatio Istvánii L. XLI. Nadányi Flor. Hung. Joan. Bethlen Comment. L. I. Palma N. R. H. in vita Ferdinandi II. referunt.

Quod Artic. 68. 1635. ad Oppida Hajdonicalia Comitatus Bihariensis nullatenus pertineat, evidentissimum est. Legislatio enim Hungarica ad Comitatum Bihariensem hoc tempore non pertinebat, Oppida præterea Lex illa, quæ tangit, denominat, eaque in Partibus superioribus Regni sita esse dicit; atqui Comitatus Bihariensis ad Partes Regni inferiores refertur.

Sonat porro Lex illa, de Oppidis Comitatus illis adjacentibus, quibus Comitatus Hungarica Contributionem, & gratuitos ad confinia labores inponebat. Atqui Leges omnes Hungariæ hujus objecti, inde a pacificatione Viennensi, de Comitatu Bihariensi altum tacent. Ac in specie

Articulus 92. hujusdem Anni 1635. gratuitos labores, & annonarium subsidium ad Confina, repartiens, universos Comitatus, & omnia Confina, quæ Legi Regique Regni Hungariæ subiacebant, denominat, de Comitatu vero Bihariensi, & arce Váradi, quia partibus Hungariæ Transylvaniæ subjectis accensebantur, nihil prorsus disponit.

Articulus 84. 1635. Georgium Rákoczy justum Juris Principem in sua Provincia esse agnoscit, eumque Illustrissimum Dominum Principem appellat, atque ita eodem Titulo insignit, qui Fœdere Pragenfi Anni 1595, & Pacificatione Viennensi An. 1606. Principibus Transylvaniæ, & Partium Hungariæ eidem subjectarum defertur.



XXI. Anno 1638. Diploma Ferdinandi III. Inaugurale anno ut supra 1625. datum inarticulatur.

Articulus 41. 1638. notatu præprimis dignus est, qui Controversiam inter metas Transylvaniae, & Regni Hungariae illic designatas decidendam statuens, Commissarios ex parte Regni Hungariae denominat, Principemque Transylvaniae, ut ex parte quoque Provinciae istius Commissarii deputentur, requirendum decernit. Bonum Bilke in Comitatu Beregh existens in Limitibus Hungariae jacere dicit; Limites & Terminos ejusdem Boni Bilke, Regni Hungariae Limites appellat, vicinum Comitatu Bereghienfi Comitatum Máramaros, Transylvaniae Comitatum appellat, similiter etiam Civitati Nagy-Bánya, in Comitatu Szathmariensi sitæ, Limitaneas controversias, Regni Hungariae Limitum controversias appellat. Comitatum etiam Szabolcs Limites Jurisdictionis Suae Regiæ Majestatis in ea parte absolvere statuit. Oppidum Kaba in Comitatu Bihariensi situm, Hajdonicale dicit; & tam arcis Bajom æque in Comitatu Bihar sitæ, quam Hajdonicalis Oppidi Kaba pertinentias, quia Comitatum Szabolcs contingunt, Limites Hungariae contingere innuit.

Universa hæc, ac particulariter id quoque, quod Kaba Hajdonum Oppidum Lex ista nuncupet manifesto sunt indicio: Reges, Statusque, & Ordines Regni Hungariae agnovisse Stephani Bocskay, aliorumque Transylvaniae Principum Privilegia, Legesque Transylvanicas, in Comitatu Bihariensi plenam vim obtinuisse; atque Comitatum hunc non secus, ac ipsammet Transylvaniam, inde a tempore Bocskaiano, semper Legislationi Transylvanicæ, nunquam vero Hungariae paruisse; Principumque Provinciae continuo, & non Regum Hungariae potestati subfuisse, adeoque Jus Oppidorum Hajdonicalium in Comitatu Bihariensi sitorum non minus esse firmum, quam eorum qui Comitatum Szabolcsensem incolunt.

Princeps Georgius Rákóczy Anno 1642. filium cognominem in Conventu Transylvaniae, Partiumque Hungariae subjectarum generali, in Principem eligi facit.

XXII. Anno 1645. Mox pax inter Cæsarem Regem Hungariae parte ab una, ac Rákótzium Principem Transylvaniae & quarundam Partium Regni Hungariae Dominum, illique adhærentes Hungaros parte ab altera, conclusa est, quæ Diplomati Regio 16-ta Decembr. Lincii emanato (unde & nomen accepit) inclusa, ac,

Anno 1647. In generalibus Regni Hungariae Comitibus, ad requisitionem Cæsaris Regis Hungariae, universorum Statuum & Ordinum assensu acceptata, publicis Constitutionibus Articulo 5. inserta conspicitur, &

Articulus 20. hujusdem Diætæ promissos per Cæsaream Regiam Majestatem Principi Georgio Rákóczio Pace hac Lincensi septem Comitatus eodem, quos Princeps Gabriel Bethlen, juxta Art. 29. 1625. acceperat, iisdem conditionibus concedit.

Ad Comitibus isthæc Princeps Transylvaniae Ablegatos suos miserat, qui juxta Pacta conventa, Diplomatis Pacis Lincensis, per universos quoque Status & Ordines Regni acceptationem, ac confirmationem postularent, Tractatumque quoad ea, quæ ad Diætam relegata erant, consumarent, ac Electionem & Coronationem primogeniti Filii Cæsaris Ferdinandi scilicet IV. in Regem Hungariae (quod etiam factum est) commendarent, Confiniariorumque Regiæ Majestatis in Ditionibus Transylvanicis grassandi, ac per hoc Turcas, in Principatum illum irritandi, Pacemque turbandi licentiam coërceri peterent.

Adfuerunt illic septem quoque Comitatum Articulo 20. Principi concessorum Ablegati.

Comitatum tamen eorum, qui in unum corpus Provinciae cum Transylvania dudum coaluerunt, ac in specie Bihariensis Ablegatos, huic, aliisque Hungaricis Comitibus ejus ævi haud interfuisse certum est. Ut præmissa, Extractus Actorum Diætaliū sub Q. Articulus porro 44. 1647. Palma, Joannes Bethlen, Continuatio Istvánfi, Legesque Anno 1647. perlatæ testantur; ac quædam eorum in sæpius provocato opere *Recueil de Traités* &c. ad hosce annos videre est.

Principi Georgio I. Rákóczy Anno 1648. mortuo, successit Filius ejus nominis II. vivo adhuc Patre per Provinciales electus.

Articulus 68. 1649. hunc quoque Georgium II. Rákóczy Illustrissimi Principis titulo juxta Pacta conventa afficit.

Articulus

Articulus 72. ejusdem Anni Articulum 41. 1638. renovat, adeoque nunc quoque Comitatus, Bereghiensem, Szathmáriensem, & Szabolcsensem in Limitibus Regni Hungariæ constituit, consequenter ultra illos situm Bihariensem, & alios intra Limites Transylvaniæ Provinciæ Pactis conventis definitos, constitui agnoscit.

Articulus 86. de gratuitis laboribus, ad Confinia Regni administrandis sonans, de Arce Várad & Comitatu Bihariensi, velut Transylvanico tacet.

Anno 1652. Septennis Georgii II. Filius Franciscus Rákótzý per Status Provinciales in Principem eligitur, mortuo demum Patre Regimen aditurus.

XXIII. Anno 1655. Dum Divus Leopoldus coronaretur, editum est Inaugurale Diploma, cujus Conditione prima non tantum Viennensis, sed etiam Lincensis Pacificationes confirmantur, & Conditione 12-ma Confæderationes cum vicinis Provinciis, ac etiam Transylvania, observandæ sancuntur.

Articulus 3. 1655. Confinia recenset, & Arcem Váradensem velut Transylvaniæ subjectam non memorat.

Articulus 42. 1655. Transylvanicum Principatum, proprie ita dicta Transylvania, & Partibus eidem applicatis absolvi loquitur. Ac de restitutione Colonorum, & de eo ne Nobiles, vel Ignobiles, in Ditione Suæ Majestatis commorantes, ratione Bonorum heic adjacentium, vel aliorum ejusdem Regni Hungariæ negotiorum, in Transylvania, & Partibus; vice versa neque Transylvani, vel in Partibus residentes, ratione negotiorum, & Bonorum in Transylvania & Partibus habitorum in Hungaria, Ditione videlicet Suæ Majestatis, juri stare compellantur, cum Illustrissimo Principe Transylvaniæ tractandum esse decernit.

Lex hæc Partes Transylvaniæ applicatas, adeoque & Comitatum Bihariensem, Legislationi Judiciisque Hungaricis nullatenus subfuisse statuit.

Ditionem Regiæ Majestatis Hungariam appellat, Provinciæ isti quam Transylvania, & Partes eidem applicatæ constituunt contra distinctam, adeoque præter superiora, vel solus hic Articulus indicat, quod sequens Articulus 43. ad Oppida Hajdonicalia Comitatu Bihariensi ingremiata, nulla ratione pertrahi possit.

Articulus 83. 1655. decernit, ne per Tricesimatores, & Teloniatos, Domini & Nobiles, a propriis allodiaturis, & Proventibus, ex Bonis suis, in Partibus Transylvaniæ adjectis existentibus, in Ditionem Suæ Majestatis traducendis, ad solutionem Tricesimæ, & Teloniorum adigantur.

Articulus 116. 1655. de gratuitis laboribus, de Várad & Comitatu Bihariensi, silet, hocque silentio indicat, quod Articuli 42. & 83. hujusdem Diætæ Comitatum Bihariensem Partibus Transylvaniæ adjectis, & extra Ditionem Regiæ Majestatis, quam Hungariam nominant, constitutis, accenseant.

Postquam Princeps Georgius II. Rákótzý infausta Polonica Expeditione Portam Ottomanicam offendens, Principatu sponte sua cessisset, in locumque ejus electus Franciscus Rhédey Provinciam eidem rursus restituisset, eumque persecuti Turcæ, Transylvaniam diris modis vastassent, jubente Sultano, & secus excidium minante: Provinciales in Comitibus Generalibus, Achatium Barcsay Principem elegerunt. Quo facto

XXIV. Anno 1659. Inter Divum Leopoldum Magnum, & Principem Georgium Rákótzium II. Tractatus per Legatum Cæsareo Regium Clementem Rotall 5-ta Maji Szerencsini inchoatus, tandem cum Legato Principis Viennæ 30 ma Junii conclusus, & subsignatus existit.

Conventum illic est: ut Fortalitio Váradensi, & Ditionibus cunctis antehac quoque Transylvaniæ subjectis Barcsajo Principi relictis, bini Comitatus, Szathmáriensis nempe cum Arce cognomine, & Szabolcsensis, cum Arce Kálló Cæsari Regi Hungariæ restituerentur. Et mox

XXV. Anno 1659. Idem Cæsaris Regis Hungariæ Legatus Baro Rótall cum Principe Achatio Barcsay ita transegit: Ut Barcsajum Cæsar Rex Hungariæ Principem Provinciæ agnoscat, Comitatus Szabolcsensem, & Szathmariensem, juxta Pacta cum Rákótzio conventa Rex Hungariæ recipiat, reliquæ Partes Hungariæ Transylvaniæ dudum subjectæ Principi Barcsajo subditæ, & Provinciæ unitæ manerent, Varadinum Turcis Transylvani sponte haud traderent. Ut sub R.

R.



Hæc quoque docent Váradinum cum Comitatu Bihariensi Principatui Transylvaniæ hoc etiam tempore subjectum ex Pactis Conventis fuisse. Ut hæc Galeasius Priorati in Historia Leopoldi Cæsaris jussu Imperatricis Eleonoræ, & in gratiam ejus scripta Lib. V. accurate consignavit. Joan. item Bethlen, & Continuator Istvánfi passim referunt, & e Constitutionibus quoque Diætalibus tam Hungaricis, quam Transylvanicis liquent.

In Comitibus Hungaricis Diploma Leopoldinum superius memoratum Legi publicæ innexum est.

Articulo 130. 1659. Gratuitorum laborum ad Confinia limitatio, nulla Comitatus Bihar, & Arcis Várad injecta mentione demonstrat, hoc quoque tempore Comitatum Bihariensem, cum reliquis Partibus Transylvaniæ subjectis, Ditioni Regis Hungariæ nullatenus subfuisse.

Princeps Georgius II. Rákótzý e vulnere de Proelio cum Turcis heroica fortitudine commisso reportato, 6-ta Junii 1660. moritur.

Principis hujus vidua ex fide Pactorum Arces Tokaj, Kálló, & Szathmár, Cæsari Regi Hungariæ tradidit, Præfectis Arcium promte obtemperantibus.

Princeps Barcsajus a Purpurato Budensi capitur; qui Váradinum obsessurus, sexaginta armatorum millia eorsum ducebat, cumque Hajdones Comitatus Bihariensis, invictum contra Turcas bello robur, ac Gens fortissima, ut Galeasius Priorati Aulicus Historicus, sub S. appellat, quibus solis improvisa Exercitus Turcici vis incubuit, dispersi, justo numero ad arma subito, convolare haud possent, Souchesque Dux Exercitus Cæsarei, ut Viennam perscripserat, impositis Arcibus Tokaj, Kálló, & Szathmár præfidiis, vix jam quatuor millia militum sub signis numeraret, Purpuratus Budensis, cum tanta mole Exercitus Váradinum cinxit.

Atque ita Antemurale hoc Provinciæ Transylvanicæ 15-ta Julii summa vi obsideri cæptum, redactis ad 300 morbis, vulneribusque exangues Præfidiariis, omnique spe auxiliorum evanescente, 27-ma Aug. Anni 1660. deditione capitur, honestis Conditionibus per Purpuratum subscriptis & Juramento firmatis:

Prima inter has erat: Ut præter Arcem Várad, adjunctasque ei ab antiquo Possessiones, nullæ Arces, Castella, Oppida, Villæ, aut Possessiones Provinciæ isti adimantur.

Altera: ut quicumque Arcis, & Civitatis Váradensis Incolarum sive de præfenti illic persisterent, sive successu temporis redire voluerint, proprias etiam substantias, Domos, Possessiones, Portiones, aliaque Bona possidere, juxtaque Leges, & Consuetudines Provinciæ vivere possint.

Deditione itaque Arcis Váradensis Comitatum Bihariensem, & quidem totum, ac in specie Oppida Hajdonicalia infra scripta, a Corpore Provinciæ Transylvaniæ fuisse avulsa, Juribusque eorum, Privilegiis Principum, & Legibus Provincialibus constitutis quidquam decessisse, nulla ratione statui potest. Ut hæc in Galeazio Priorat Lib. VI. & VII. in Chronicis Balthas. Bartha, ad Annum 1660. in Comment. Com. Joan. Bethlen Lib. III. in Continuatione Istvánfi Lib. XLII. in Palma de vita Leopoldi Magni leguntur. Sub T.

T. Achatius Bartsay libertati redditus, Status & Ordines Provinciæ, a fide, & Sacramento sibi præfesto absolvit. Unde

Joannes Kemény Anno 1660. in Comitibus Provincialibus ritu consueto Princeps eligitur, & proclamatur, qui


XXVI. Anno 1661. cum Cæsare Rege Hungariæ paciscitur ita: ut si adversus Turcas Copiæ Cæsareo Regiæ eidem præfesto essent, simul cum Provincia clientelam S. Coronæ Hungariæ profiteretur.

Juxta Pacta conventa, Claudiopolis, Kóvárinum, Déva, Fogaras, Szamos-Ujvár, aliaque munimenta, per auxiliares Cæsareas Copias infessa sunt.

Interea quædam Juris Transylvanici Váradino vicina Castella, utpote Pap-Mező, Somlyókő, Szent-Jób, perfidia Præfidiariorum Turcis traduntur, Arx tamen Székelyhid pro Transylvanis rejectis Turcis conservatur, & ulterior Turcarum, in Comitatu Bihariensi progressus, Hajdonum imprimis antenatorum supplicantium armis impediatur.

Princeps Keményius Barcsaium immisis satellitibus trucidari facit. Turcicus exercitus diffusus per Transylvanicam Provinciam omnia igne cædibusque miscet, & nisi Provinciales, rejecto Keményio Principem quemlibet alium elegerint, vastitatem, & internecionem porro quoque minatur. Atque ita

Michael Apaffy 20ma Novembr. 1661. in Generalibus Provinciæ Comitibus Princeps eligitur, & inauguratur.



Keményius suppetiis Militis Cæsareo Regii confirmatus, cum Turcis Anno 1662. ineunte confligit, & occumbit. Ut provocati superius Historici, & Codex Juris Transylvanici memoriæ prodiderunt.

Art. 20. 1662. confirmat Articulum 130. 1659. adeoque ad Comitatum Bihariensem nullatenus pertingit.

Indicto Cæsari Regi Hungariæ per Turcas bello, victoriaque ad S. Gotthardum, de iisdem Duce Montecucullo reportata:

Anno 1664. Pax inter Cæsarem Regem Hungariæ, & Sultanum conficitur 20 annis duratura, qua inter alia conventum est:

Ut Varadinum Turcis relinqueretur.

Apaffius pro legitimo Principe agnosceretur, & Comitatus jam inde a Joannis Sigismundi Principis temporibus Partium Regni Hungariæ Transylvaniæ subjectarum nomine venientes, atque adeo Comitatus etiam Bihariensis, absque Limitum diminutione Principatui Jure antiquo manerent.

Turcæ, & Cæsar, militem ex Provincia Transylvanica educerent.

Ut a morte Apaffii, secundum antiquas suas Capitulationes Status & Ordines Provinciales, libere Principem eligere possint, fruanturque omnimode antiqua libertate, prærogativis, & Jurisdictionibus.

Comitatus Szabolcs, & Szathmár, quos Cæsar Rex Hungariæ Rákótzio ad dies vitæ concesserat, redirent ad Regem Regnumque Hungariæ.

Arx Székelyhid, ad Provinciam Transylvaniæ in Comitatu Bihariensi pertinens solo æquaretur, ad præcavenda mala, quæ utriusque Partis, adeoque & Turcæ Ditionibus inde evenire solent.

Arcem Székelyhidensem urgentibus Cæsareo Regio, & Turcico Internunciis Princeps Apaffy, & Status Provinciales in effectum Pacificationis destrui fecerunt, id quod pandit illam fuisse, & mansisse in potestate Principis, ac præter Arcem Várad, cum reliquo corpore Comitatus Bihariensis Transylvaniæ subjectam perstitisse.

Cæsar quoque Rex Hungariæ, misso Plenipotentiaro Comite a Rotall, Arces in Transylvania & subjectis Regni Hungariæ Partibus, eductis præfidiis Principi Apaffyo reddidit, ut sub U. sed

Cum ex Confiniis Kalló, Szathmár, Károly, aliisque Cæsareo Regiis, in Comitatus Transylvaniæ subjectos incursiones fierent, ac imprimis Debrecinensibus Hajdonibusque infracriptorum Prædecessoribus, ac aliis Comitatus Bihariensis incolis injuriæ inferrentur.

XXVII. Anno 1669. Cæsar Rex Hungariæ, datis 4ta Martii ad Principem Apaffy Literis perscribit, nihil Suam Majestatem magis in votis habere, quam ut mutæ vicinities observantia, utrinque, inter suos utpote, ac Principis Apaffy fideles illæse colatur &c. Commissarios Eperjesini conventuros se denominasse notificat. Principem Apaffyum requirit, ut is quoque ex parte sua Commissarios sufficienti cum instructione, & plenipotencia eo delegare velit, qui una cum Commissariis Cæsaris Regis Hungariæ omnes Controversias tam ortas, quam medio tempore oriundas dirimere queant.

E Comitibus proinde Transylvaniæ Provincialibus delegantur, ad Commissionem Legati, inter quos erant Supremi Comites Comitatum mediocris Szolnok, & Zaránd, ac Capitaneus Præsidii Kövariensis, e partibus nempe Hungariæ Transylvaniæ subjectis.

Actorum Comissionalium reliquorum etiam Extractus demonstrat Comitatum Bihariensem, cum aliis Partium Regni Hungariæ nomine venientibus, potestati Principis & Statuum Provinciæ ex Transylvania, & Partibus Regni Hungariæ coalescentis subfuisse. Qualia forent inter alia

Quod tormenta cum aliis apparatus, e solo æquata Arce Szekelyhid in Comitatu Bihariensi sita sub Imperio tamen Principatus Transylvanici perseverante, Karolinum per Transylvanos ea Lege translata, ut quando placuerit Principi Transylvaniæ, & Regnicolis, avehere integrum sit, per Transylvanos repetuntur, ac per Comissionem restituenda decernuntur.

Comitatus Máramarosensis Regno Transylvaniæ incorporatus esse, per Transylvanos asseritur, & per Cæsarem Regem, ejusque Legatos recognoscitur.

Provinciæ & Comitatus Bihar, Kraszna, Zaránd, Szolnok mediocris, Civitates item Hajdonicales Transylvaniæ Ditiones nominantur, Ditionibus Cæsareo Regiæ Majestatis vicinæ.



In ipsissima Instrukione Cæsareo Regia Legatis suis sub nomine proprio data Puncto 5to Debrecinum, & alia Comitatu Szabolcsienfi vicina loca, in Comitatu nempe Bihariensi sita, pleraque Hajdonicalia, Principis Transylvaniæ esse expresse statuuntur. Puncto 6to Comitatus Krasznenfis & Szolnokienfis Transylvaniæ addicti dicuntur.

Decisis Commissariorum Donationes Regis, & Palatini Hungariæ, de Bonis in Ditionibus Transylvaniæ fitis, quoquo modo impetratæ cassantur, & legitimis Dominis Bona restituenda decernuntur.

Possessiones Fiscales, in Pertinentiis Castrorum Várad, & Jenő existentes, præcise ad Principem Transylvaniæ spectare, & a dicto Principe impetrandas esse pronuntiatur.

Pagos per Episcopum Váradensem prætenfos, procul dubio Comitatu Bihariensi ingremiatos, in Ditionibus Transylvanicis jacere expresse ponitur. Utque idem Episcopus ratione eorum ibidem coram Foro videlicet Transylvanico Jure procedat, interimque a vendicatione eorum abstineat, decernitur.

Debrecinensium, velut Transylvaniæ subjacentium Privilegiis, & Juribus Commissariatica decisione diserte prospicitur. Ut hæc Joan. Bethlenius Hist. Rer. Transylv. Parte Priori, Continuatio Istvánfi, Palma in vita Leopoldi M. Priorati in Historia Leopoldi Cæsaris recensent. Ut sub X.

X.

Vivente Principe Michaeli Apaffy quod pace Anni 1664. inter Cæsarem Regem Hungariæ, & Sultanum Turcarum inita conclusum erat, factum est, Filius videlicet dicti Principis Michael, liberis Statuum Provincialium suffragiis Anno 1681. in Principem Genitori successurum eligitur.

In Comitibus Regni Hungariæ Anni 1681.

Articulo 7-mo, provocantur Articuli de gratuitis laboribus disponentes superius citati, qui de Comitatu Bihariensi, velut Legislationi Transylvaniæ subjecto nihil prorsus loquuntur.

Articulo 23. ex parte Regni Hungariæ Commissarii denominantur, pro Metarum Regni cum vicinis Provinciis Rectificatione. Inter vicinas Provincias nominatur etiam Transylvania, & prout Articulo 44. 1638. per Articulum 72. 1649. confirmato, perinde etiam isthic offert Regia Majestas se, prout Rempubliacam Polonicam, ita & Principem Transylvaniæ, requisiturum, ut hoc scopo Commissarios denominent. Id quod manifeste docet, Provinciam Transylvanicam, perinde ac Poloniam, distinctum a Regno Hungariæ Statum suo proprio Principi subjectum constituisse. Ipsa porro Commissariorum ex parte Hungariæ denominatio ostendit, metas Comitatum etiam Szathmariensis & Szabolcsensis fuisse metas Ditionis Regis Hungariæ, a Ditionibus Principatus Transylvaniæ dirimentes, adeoque hoc quoque tempore, Constitutione Diætali recognoscitur Comitatum Bihariensem, intra Limites Provinciæ, seu Principatus Transylvaniæ, jacuisse. Inter Commissarios quippe ex parte Hungariæ, nominantur Comitatum Szabolcsensis & Szathmariensis Vice-Comites, Magnifici porro Ladislaus Károlyi, Joannes Prényi, & Adamus Vay, præcipui Comitatum Szabolcsensis & Szathmariensis Dynastæ.

Art. 26. 1681. Id ipsum ob oculos ponit: Nimirum recensentur omnes Comitatus Legislationi Comitiorum Hungaricorum, & potestati Regiæ subditi: Inter eos nec Bihariensis, nec reliqui Transylvaniæ annexi nominantur.

Turcicum tandem Bellum Anno 1683. exoritur, in quo immanis Exercitus Hostilis, trecentis propemodum armatorum millibus constans, Ducibus invicto Heroë Carolo Lotharingo modo feliciter regnantis Augustissimæ Domus Progenitore, & Rege Poloniæ Joanne Sobyelzky, qui Anno jam 1663. ad Camynicum ingentem Turcarum Exercitum interneccione deleverat, viresque Ottomannici Imperii multum debilitaverat, ad Viennam atroci prelio profligatus, mox repetitis Cladibus Turcæ in Hungaria fracti, ac Arcibus & Ditionibus multis exuti sunt.


Inclinante, Deo auxiliante, Potentia Ottomannica, D. Leopoldus Magnus Authore Carolo Lotharingo sapienter censuit, illuxisse jam faustissimum tempus, quo Provincia Transylvanica Clientelæ Turcicæ absque certa sui perniciæ renunciaret, ac arctiore Fœdere cum Rege Regnoque Hungariæ conjungeretur. Atque ita

XXVIII. Anno 1686. Legatione ab Apaffy Principe, & Statibus Provincialibus Viennam missa, in certos Articulos solenni Instrumto 28-va Junii utrinque sub-

Y.

signato comprehensos, conventum est. Ut sub Y.

Præambulum.



Præambulum tenet S. C. Regiam Majestatem ad sacri Belli contra fidefragum Sultanum societatem Principem, Statusque & Ordines Transylvaniae ac Partium Hungariae eidem annexarum pro defensione communi invitasse. Legatio proinde Provincialis Viennam missa Partes quoque Hungariae Transylvaniae annexas, adeoque Comitatum etiam Bihariensem repræsentavit, ac ille etiam Pactis conventis perinde ac Transylvania includitur.

Tractatu hoc, tam publicis Principis & Principatus, quam privatorum Juribus iis etiam, quæ Turcis eripiuntur, in Locis, cautum est. Non absimiliter. XXIX. Anno 1687. 27. Octob. Tractatu cum Plenipotentiaro S. C. Regiæ Majestatis Serenissimo Duce Lotharingiæ, ac cum Principe Michaelè Apaffy, & Statibus ac Ordinibus Provinciæ ei subjectæ, conclusus est, ut sub Z. quo itidem Principis, nec non totius Provinciæ, ut expresse plerique in punctis recognoscitur Transylvaniam, & partes Hungariæ, eidem annexas complectentis, ac etiam privatorum, Communitatumque omnium, tam in Transylvania, quam in partibus eidem annexis, adeoque etiam in Comitatu Bihariensi jacentium Jura universa facta tectaue conservanda esse sanciantur. Z.

Ac signanter Puncto 6. tam antiquorum, quam modernorum, & futurorum Principum Transylvaniae, Donationes, Collationes, Privilegia, Consensus sancte & inviolate conservanda statuuntur.

XXX. Anno 1691. 4. Mens. Decembr. Sacrum Diploma Leopoldinum emanavit, quod Tractatus Annorum 1686. & 1687. confirmavit, hujus duo inprimis Puncta huc faciunt, quæ ita se habent:


II. Confirmamus fidelibus Statibus omnes Hungariæ Regum, similiter omnium a tempore separatæ ab Hungaria Transylvaniae, ejusdemque Principum Donationes, Collationes, Privilegia, Armiales, Titulos, Officia, Dignitates, Decimas, & denique quævis Beneficia, ac Bona, sive privatis, sive Civitatibus, ac Communitatibus, & Cœtibus, sive cujuscunque ex receptis Religionibus addictæ Ecclesiæ, Parochiæ, vel Scholæ, tam in Transylvania, quam Partibus Hungariæ in Siculia & Debrecino, prædictis factas, & datas, etiam si aliquando ad aliquam Ecclesiam, Conventum vel Capitulum pertinerint, ita ut nemo omnino, hac occasione in suis Bonis, nec per Nos, nec per quemcunque Sacri aut profani ordinis Virum impetendo, aut actionando turbetur; sed unusquisque ea, quæ nunc habet & possidet, in posterum etiam teneat, & possideat, secundum dictas Regum, & Principum Donationes, nisi ipsi per suas Constitutiones abrogassent.

III. Approbatas & compilatas Patriæ illius Leges, Decreta, Tripartitum Verböczii, ex puncto tamen ibidem Art. 9. Decr. Andr. Regis, qui in ultima Posoniensi Diæta abolitus fuit, Constitutiones Jus municipale Nationis Saxoniciæ in vigore inviolabili permanens declaramus. Ut sub J. J.

Sacrum hoc Diploma, ad Comitatum quoque Bihariensem pertinere, inde certum est; quod ad Partes quoque Hungariæ expressis verbis porrigatur, inter quas Bihariensem Comitatum ceteri manifestum est, ac ex ipsis quoque Legibus in Comitatu Regni Hungariæ perlatis inclarescit.

Id ipsum docent Leges Transylvanicæ signanter App. Const. Part. 3-tia Tit. 86. quo supplicantium oppidorum Hajdonicalium Jura confirmantur; nec non Tit. 66. Art. 1-mo & 2-do Partis 4-tæ Edict. 23. 89. 95. 96. 97. 98. 99. & Comp. Const. Partis 3-tiæ Tit. 11. Art. 5-to Partis 4-tæ Edict. 46. ubi Comitatus Bihariensis Oppida Hajdonicalia, & Kifs-Marja memorantur Partis 2. Tit. 4. Art. 3. & alibi.

Arcis Varadiensis per Turcam occupatio, ac tandem junctis Cæsareis & Principis Transylvaniae armis recuperatio Præsidio Diplomatis hujus, Privilegia, & Leges Transylvanicas, quibus Jura Incolarum Comitatus Bihariensis nituntur non exiit. Nam Arx tantum Varadiensis, ut visum est, cum Appertinentiis, & non totus Comitatus in manus Turcarum inciderant. — Puncta porro Accordæ sub quibus deditio Turcæ facta est, Jura Incolarum, ac etiam Oppidorum, & Communitatum ad Arcem Váradiensem spectantium in salvo reliquerunt. — Unde plurimæ Leges Transylvanicæ post occupatum quoque per Turcas Váradinum, de Gubernatione Comitatus Bihariensis latae sunt ut Comp. Part. 2-dæ Art. 4. & 6. de Anno 1660. Part. 3-tiæ Tit. 11. Art. 5. de Anno 1665. item Part. 5-tæ Tit. 45. Edict: de Anno 1667. & reliquæ — Et cum M. Leopoldus penes Conventionem cum Principatu Transylvaniae initam Anno 1693 Arcem Váradiensem a Turca occupasset, natu-



raliter postliminio omnia quorumvis Jura revixerunt, id ipsumque supramemoratae Conventiones per Sacrum Diploma Leopoldinum confirmatae expresse tenent. — Et sane Comitatus Bihariensis Regno Hungariae Diplomate Leopoldino posterior applicatio, Juribus in hoc Diplomate fundati, & per illud roboratis derogare nequit.

Certum porro est, quod Principum Transylvaniae in Comitatu Bihariensi collata universa Privilegia & Bonorum Donationes, licet ritu Transylvanico Statutione firmatae, per omnia Fora sanctissime observentur. Ut vel superius adductum exemplum testimonio est.

Anno 1700 emanatum M. Leopoldi Imp. & Regis Edictum, testatur Oppida haec Hajdonicalia Principibus Transylvaniae armis continuo antehac servivisse, id quod usum Status eorum Privilegiis & Lege Transylvanica constituti inde ab Anno 1606, usque Annum 1700 indicat.

DRUGOVI ESTERMI KOVIVIA
lett. 6504-196